



**Clavis Aurea Thesauri Partheno-Carmelitici, Sive
Dissertatio Historico-Theologica, Referans atque
Exponens Antiquitatem & originem, confirmationem ac
propagationem, beneficia ac privilegia, gratias & ...**

Paulus <Ab Omnibus Sanctis>

Viennæ Austriæ, 1669

Pars Tertia. De tertio Carmelo-partheniæ Confraternitatis beneficio,
Communicatione videlicet bonorum operum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64293)

PARS TERTIA,

*De tertio Carmelo - Parthenia Confraternita-
tis beneficio,*

Communicatione videlicet bonorum operum.

CAPUT I.

*An prater generalem Sanctorum Communio-
nem detur alia specialis in Ecclesia
Dei?*

SUPPONIMUS hic unum tanquam de fide certum, & alterum inquirimus. Supponimus inter Fideles in Ecclesia DEI mutuam esse bonorum operum Communicationem: adeo, ut omnia facta in gratia & charitate opera bona, eo ipso, sive ipso jure & facto, sine speciali intentione & applicatione facientis, directa ad ipsum participantem communicentur omnibus justis, sive existentibus in statu gratiæ. Quod egregie explicat S. Thomas *Opuscul. 6.* ducta similitudine à corpore naturali. *Sicut, inquit, in corpore naturali operatio unius membri, cedit in bonum totius corporis: ita in corpore spirituali scilicet Ecclesia. Et quia omnes Fideles sunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur. Apostolus Rom. 12. singuli autem alter alterius membra. Unde inter alia credenda, que tradiderunt Apostoli, est, quod Communio bonorum operum sit in Ecclesia.* De hac igitur bonorum operum Communicatione, quam Scotus quodlibeto 20. *quest. 2.* nuncupat bonorum operum applicationem generalissimam: quamque eo esse fructuosiore, quo plures sunt in Ecclesia sancti, quovè sanctiores, rectè pronuntiat Petrus à Navarra *Lib. 2. de restit. cap. 2. n. 257.* de hac, inquam, bonorum operum communicatione, non procedit præsens quæstio, sed de quadam speciali & actuali applicatione orationum, operumque bonorum, quæ in Religionibus, & pijs Congregationibus maximè fieri solet.

Et

188.

Mutua da-
tur in Ec-
clesia bo-
norum o-
perum o-
commu-
nio: & qua-
lis hæc sit

Et ut difficultatem formemus pro opposita sententia cum Navarro *Miscell.* 11. *de orat. num.* 21. *qu.* 3. & 4. &c. Supposita illa generali Communionem, quæ est in Ecclesia, per quam ipso facto unius bona opera alteri applicantur ratione unionis, quæ fit per charitatem sicuti bonum unius membri in eodem corpore ipso facto atque iure ratione unionis, quæ est inter ipsa membra, per communicationem alteri applicatur, non videtur præterea desiderari altera bonorum operum communicatio & applicatio: quippe, quæ superflua & melius momenti foret.

189.

Præter hanc datur alia specialior meritorum Communio.

Explicatur similitudine.

Illam tunc tradit S. Thomas.

Ac diversi Romani Pontifices.

NIHILOMINUS constans, & certa semper fuit Theologorum sententia, præter generalem illam Communionem, quæ sequitur ratione membri corporis mystici, omnes Christianos complectentis, & à Christo Domino ortum trahentis, ideoque nullis humano arbitrijs poni aut tolli valentis, datur alia specialior meritorum seu bonorum operum Communio, non modo inter eos, qui specialis altissimus intra Ecclesiam corporis sunt membra, verum etiam inter eisdem, ac adoptatos (ut sic dicam) in ejusdem mystici corporis compagem. Sicut quamvis intercedat Communio aliqua Politica inter omnes, qui eidem Regi subsunt, tamen specialior est, quæ eos necesse est, qui ejusdem præterea sunt Provinciæ: & adhuc major, quæ intercedit inter personas ejusdem Urbis; maxima vero est omnium, quæ cernitur inter personas ejusdem familiæ & cognationis. Ita docet S. Thomas in 4. *Sent. d.* 20. *q.* 1. *a.* 4. & in *addit. ad 3. part. q.* 26. *a.* 1. Brevius vero *Opuscul.* 6. his verbis. *Sciendum est, inquit, quod non solum virtus Passionis Christi communicatur nobis, sed etiam meritum Vitæ Christi, & quicquid boni fecerunt omnes Sancti, communicatur in charitate existentibus, quia omnes unum sunt. Psalm. 118. Particeps ego sum omnium clementium te. Et inde est, quod qui in Charitate vivit, particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo. Sed tamen specialius illi, pro quibus sit aliquid boni: nam unus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs ad quæ plures Congregationes admittunt aliquos. Hactenus S. Doctor. Id ipsum attulit Soterio & Rosar. *beatiss. Virg.* & copiosè Soto in 2. *d.* 21. *q.* 1. *a.* 4. alijque permulti relati à Peyrinis Tomo 2. *q.* 3. *cap.* 6.*

Idem senserunt Pontifices Romani in suis Apostolicis diplomatis, veluti URBANUS V. uti refertur in *Compendio Ordinis Minorum* verbo

verbo indulgent. CLEMENS VII. in Bulla, quæ incipit, *Ex clementi.* Item CLEMENS VIII. & PAULUS V. uti latius videbimus alibi.

Hanc quoq; specialem bonorum communicationem operum constanter defenderunt Doctores Catholici contra Sectarios, & potissimum contra Witleff, ejuſq; affectas; cum enim circa annum Domini 1372. sub GREGORIO XI. Pontifice, & *Eduardo Angliæ Rege*, præfatus Witleff, homo hæreticus & emoti ingenij, inter alia assereret, hujusmodi specialem meritorum, seu bonorum operum communicationem in Religionibus, & pijs Congregationibus fieri solitam, nullatenus esse licitam, sed vanam, superfluam ac superstitiosam; & tamen prioribus annis hic error non adeo proderetur, successu tamen temporis valde increvit, adeo ut necesse fuerit, viros eruditione & zelo Religionis illustres sese huic errori opponere: licet autem plurimi diversæ conditionis ac professionis viri, id præclare præstiterint, potissimum tamen complures Carmelitanæ Familæ alumni, quos inter fuerunt Richardus Lavinghamus, Doctor Oxoniensis, anno 1380. Alanus de Linna, Doctor Cantabrigiensis, anno 1417. Joannes Bestonus anno 1423. qui à Clero Anglicano deputatus, interfuit Concilio Constantiensi, nomine illius Regni: Joannes Berneghamus anno 1430. qui omnes, ut scribit Pitæus de *Viribus illustrib. Angliæ*, & post illum Bzovius, fortiter & verbis, & scriptis Witleffitis obstiterunt. Inter omnes vero THOMAS Waldensis, ex eodem Carmeli Ordine, vir eximie sanctitatis ac doctrinæ, dictus, *validus Ecclesiæ ensis*, à MARTINO Quinto, insigniter laboravit contra eoldem hæreticos: & teste Alphonso de Castro, *nemo uberius, nervosius ac solidius illos impugnavit.* Is Tom. 3. de *Sacramentalib. tit. 10.* hanc specialem bonorum operum Communicationem luculenter probat; nec novam esse, sed antiquissimam in Ecclesia ostendit, dicens, quod Paulus, Joannes, Timotheus, Silvanus & alij communicaverunt specialiter suas orationes, suaque bona opera, quibusdam particularibus Christianis, sibi amicioribus, magisque de se benè meritis: consequenter invehitur in hæreticum Witleff, ut videre est *loco citato.* Hujus insignis viri sententia, circa hanc bonorum operum Communicationem, specialem meretur autoritatem in Ecclesia DEI: quippe à MARTINO Quinto Pontifice approbata & confirmata; sicuti

M m

& alia

Illam impugnavit. Witleff, alijque Sectarij.

Contra hos eam propugnaverunt per multi celeberrimi doctores, maxime Carmelitani Ordinis.

Et inter hos præsertim Thomas Waldensis à Martino V. alijsque ideo impense commendatus.

& alia ipsius opera, per Bullam incipientem, *Placuit nobis, &c.* Quod autem, & quomodo hæc specialis Communicatio non sit superflua, sed magni momenti & utilitatis, patebit ex mox, & infra dicendis.

CAPUT II.

Quid sit hæc particularis bonorum operum Communicatio?

190.

Justi per sua bona opera sibi metipsis promereri possunt augmentum gratiæ & gloriæ, ac vitam æternam.

Et proximis complura, tum temporalia, tum spiritualia bona.

Duplex datur meritum, scilicet, de condigno & de cõgruo;

SUPPONENDA sunt nonnulla ad faciliorem hujus questionis declarationem. **PRIMO** Viros justos sive in gratia constitutos, per sua bona opera, & secundum quod procedunt ex gratia Spiritus Sancti, promereri sibi verè & propriè augmentum gratiæ, & vitam æternam. Hoc ita est certum, ut sit de fide, definitum novissimè in Concilio Tridentino, *Sess. 6. Cap. 6. & Can. 26. & 32.* ubi sic habetur. *Si quis dixerit bonis Iustificati bona opera ita esse dona DEI, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum Iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam & IESU Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vite æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.* Propter autem hæc omnia, quæ justis sibi ipsis promerentur, per sua bona & supernaturalia opera, possunt etiam per eadem opera alijs mereri dona spiritualia, & temporalia bona promereri; v. g. gratiam conversionis, quâ mediante alter, si est in peccato sese convertat ad DEUM; augmentum gratiæ, quo magis sanctificantur justis in hoc mundo; præsertationem à peccatis, virtutum acquisitionem, vitiorum extirpationem, salutem corporalem, bonorum temporalium, ac prolium adeptionem atque conservacionem, liberationem à periculis hujus vitæ, sicuti per merita Abraham Dominus liberavit Lotum & multa alia, quæ potissimum ad vitæ æternæ consecutionem spectant, ut communiter tradunt Doctores in 1. 2. q. 114. & in 2. d. 27. & 36.

SECUNDO supponendum est, aliam esse rationem meriti, quo quis per bona opera sibi ipsi meretur, aliam verò quâ alijs. Sic enim meretur merito, ut ajunt Theologi, *de condigno*: alijs verò *de congruo*. Meritum de condigno est meritum Justitiæ, meritum verò

de congruo, est meritum amicitiae. Quia enim homo, inquit S. Doctor, 1. 2. q. 114. a. 6. (& nos prima hujus Operis parte, latius explicuimus,) in gratia constitutus implet DEI voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem, ut DEVS impleat homini voluntatem in salvatione alterius; licet possit quandoque habere impedimentum ex parte illius, cujus aliqui Sanctus justificationem desiderat, juxta Jerem. 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.

Relicto itaque merito de condigno, de quo in praesenti nulla erit quaestio, supponendum est TERTIO, meritum de congruo habere suam latitudinem: id est, tamen nullum meritum de congruo, quantumvis magnum, quoad rationem debiti, possit pervenire ad rationem meriti de condigno; at tamen unum meritum de congruo potest excedere aliud in perfectione, ratione personae, loci, modi, temporis & aliarum circumstantiarum. Explicatur hoc: apud aliquem Principem v. g. efficacius meretur, & facilius obtinet aliquis pro altero gratiam, qui majoris est apud eundem Principem amicitiae, qui pro uno solo petit, quam qui pro multis, qui pro multis determinate, quam qui in confuso, qui ferventer & obnixè rogat, quam qui tepide aut frigide; ita apud DEUM efficacius meretur in hoc mundo pro altero quodcumque donum sive temporale, sive spirituale, ille qui est majoris sanctitatis, & apud DEUM amicitiae ac gratiae: ille, qui pro uno solo, vel pro multis determinate petit: ille qui ferventer & non frigide instat: ille qui perseveranter die ac nocte pulsatur, quam qui interruptè; & ita de alijs circumstantijs. Et ratio est, ut loco citato ex Sancto Thoma innuimus: quia meritum de congruo, est meritum secundum amicitiae proportionem, in qua varij gradus & differentiae reperiuntur, ut per se patet & constat.

Supponendum QUARTO, viros justos non solum posse mereri apud DEUM pro alijs, eo modo, quo mox diximus: verum etiam posse per eadem bona opera satisfacere pro alijs; licet enim in justificatione, homini una cum culpa remittatur poena aeterna, scriptissime tamen restat adhuc temporalis aliqua poena persolvenda: uti definitum est in Concilio Tridentino, contra haereticos nostri temporis, vel in hoc mundo, qualiter David persolvit poenam temporalem, per mortem filij ex Bethabee geniti, tamen commissum adulterium & homicidium esset ei remissum; vel in altero, & quidem acerbius

& quomodo ab invicem differant?

Videantur supra 1. P. cap. 13. & 14. à nobis dicta de hac materia.

Nullum meritum de congruo, quantumvis magnum attingit perfectionem meriti de condigno.

Est tamen unum meritum de congruo altero majus & perfectius, ex varijs circumstantijs.

191.

Justi non modo pro alijs mereri, verum etiam satisfacere queunt,

Min 2

per

etiam de
condigno
& ex iusti-
tia.

Hoc pro-
batur ac
declara-
tur.

Iustus
transfun-
dens in ali-
um suam
satisfactio-
nem non se
prorsus
spoliat fru-
ctu abster-
sionis rea-
tus sui, &
amplius si-
bi prospici-
cit quoad
meritum
gratiæ &
gloriæ,
quod est
pretiosissi-
mus, &c.

per ignem nimirum Purgatorij. Viri igitur iusti, sive in gratia constituti, possunt per sua bona opera etiam satisfacere DEO pro peccata illa temporali, quæ remanet post peccatum remissum, non solum pro se, verum etiam pro alijs, non quomodocunq; , sed ita, ut certò & infallibiliter illa bona opera profint ijs, pro quibus satisfaciunt; probabilius quippè est satisfactionem huiusmodi, non tantum esse per modum impetrationis & meriti de congruo, sed etiam de condigno, & ex iustitia. Ita latissimè Navarr. in *Tract. undec. miscell. de Pœnitentiâ beatiss. Virg. num. 2.* pro qua doctrina affert D. Thom. in 4. *dist. 45. q. 2. a. 1. questiunc. 4.* & alios Doctores: idem docet Suarez in 3. *Tom. 4. d. 48. sect. 3. n. 10.* & Valentia 3. *part. dist. 7. q. 14. punct. 3.*

Quod verò unus pro altero satisfacere possit, iuve suorum bonorum operum satisfactionem, prout satisfactio est, in alterum transferre, communis fert sensus Fidelium, in Catechismo Romano, ad ultimum tractationis de penitentiæ Sacramento num. 61. luculenter expressus, non modo, si satisfaciens non egeat eo fructu (ut sanè pleriq; Sancti non egent) verum etiam [quod minus benè negat Navarrus *missel. II. de orat. quest. 10.*] quamvis ipse satisfaciens eo egeret: quia contentia reatus, ad quam per suam satisfactionem sibi servatam possit pertinere, non est bonum aliquod, quo homo in æternum fraudandus sit: imò quantum ipsi videtur decedere, communicando alteri pretium, quo posset à se amoliri illud debitum, tantum sibi preciosius, quoad meritum gratiæ & gloriæ, quod est longè pretiosius. Atq; ita eximitur labe prodigalitatæ & inconsultæ charitatæ, qua notandus videretur, juxta nonnullorum sententiam, ex eo, quod in simili suo incommodo, potiùs alteri quàm sibi prospiciat. Non enim propterea omittit sibi prospicere, cum sic operando consulat commodis suis in alio genere, & quidem prætioliore. Quid quod non se prorsus spoliat fructu illo tollendi reatum? Nam volitio relictæ, quæ vult operationem suam alteri prodesse, est meritoria alicuius remissionis pœnæ; proindeq; homo in alium transfundens suam satisfactionem, non se prorsus spoliat fructu absterisionis reatus. Et in alia parte magnum specimen charitatæ edit, præstans se pro alijs benefactorum de iussorem, quod est exemplum D. Thomæ in 4. *dist. 20. questiunc. art. 2.* Quamvis enim unusquisq; sit onus suum portaturus, si spectetur præcisè debitum, quod contraxit delinquendo: tamen si ali-

ena subventio suffragetur, æquè liberabitur onere quo se gravaverat, ac si ipsemet satisfecisset.

Nec conditio, quam deposcit Richardus in 4. dist. 20. art. 1. quæst. 3. ut satisfactio pro alio sit iusta & valida, nimirum ut is, pro quo satisficit, non possit, per semetipsum satisfacere, est necessaria. Falsum quippè est, quod illi, qui possunt per seipsum satisfacere, sint incapaces pro quibus alij satisfaciant: dummodo enim æqualis satisfactio offeratur, perindè est, à quocunq; offeratur: quia DEUS ut charitatem foveret, sanxit, ut satisfactio unius pro alio, admitteretur, nec se arctavit ad impotentes pro seipsis satisfacere, (undè enim id haberi potest?) Falsò quoq; Richardus supponit, eum, qui pro se satisfacere valet, nec satisficit, non esse verè pœnitentem. Hoc inquam falsum est: nam voluntas averfans & detestans peccatum admissum, & voluntas assumendi pro illo pœnam, non sunt necessariò connexæ, uti est perspicuum.

Duo tamen sunt necessaria ad legitimam & infallibilem, pro altero satisfactionem. Primum, ut opera illa bona sint pœnalia, id est, quæ cum labore & defatigatione corporis exercentur: qualia sunt asperitas vitæ, abstinentia, jejunia, cilicia, disciplina, vigiliæ in tempus longum protractæ, humi cubatio, crebra oratio, non solum vocalis, sed etiam mentalis, quippè quæ sine pugna & resistentia corporis, & sensuum non fit, juxta illud Ecclesiastæ 12. *Frequens meditatio, carnis afflictio est.* & his similia. Neq; enim quodvis opus nostrum, eo ipso quod opus bonum & sanctum est, pollet vi satisfactoria propriè & presè dicta: quæ scilicet expungendo pœnæ reatui sit accommodata: sed is tantum est fructus operis prout laboriosi atque pœnalis. Et indè quoq; petitur metrum ac modulus virtutis satisfactoriæ in opere. Si enim opus sit valdè pœnale, erit valdè satisfactorium: Si autem sit parcè ac modicè pœnale, non erit nisi leviter satisfactorium. Si deniq; nullo modo sit pœnale, nullo modo erit satisfactorium, quæ est receptissima Theologorum Doctrina, ut videre est apud Torrem Tom. 1. in 2. 2. dist. 70. dub. 5. ut ergo actio nostra sit satisfactoria, & alijs cum fructu queat applicari, necesse est eam esse pœnalem,

Secundum, quod requiritur ad debitam & infallibilem pro alio satisfactionem, est specialis intentio seu applicatio particularis illius,

M m 3

qui

Qui per semetipsum satisfacere possunt, nõ sunt incapaces alienè satisfactionis.

192.

Quænam necessaria sint ad legitimam pro altero satisfactionem?

Opera bona ut sint satisfactoria debent esse pœnalia.

Utrũ quodvis opus bonum sit satisfactorium satisfactorie propriè dictæ?

Præterea debet sa-

satisfactio
taliū o-
perum spe-
cialiter al-
teri appli-
cari, ut illi
profit.

qui communicat opera sua satisfactoria alteri : ita ut , nisi illi applicetur specialiter talis satisfactio , vel nisi recipiatur ad participandum de satisfactionibus certæ alicujus personæ , seu Communitatis sive Congregationis , non proderunt ei talia opera satisfactoria ipso jure & infallibiliter ad satisfaciendum pro suis peccatis. Ita Navar. *loco citato* , asserens hanc esse doctrinam S. Thomæ ab omnibus communiter receptam. Si enim sola applicatio generalis , & quæ procedit ex radice charitatis , sufficeret ad satisfaciendum ipso jure facto pro altero , sequeretur , ut ait Paludanus in 4. *dist.* 45. q. 2. a. 1. *quæst.* 4. quod omnis peccator eo ipso quod fieret justus , esset absolutus ab omni pœna, suis peccatis quoad culpam condonatis, debita : quia ad solvendas hujusmodi pœnas infinitus meritorum thesaurus est in Ecclesia , cum in eo sit repositus etiam valor meritorum Christi , quæ fuerunt infinita , ut habet *Extravag. CLEMENTIS VI. Unigenitus. de pœnit. & remissione* : & ita si ipso facto applicaretur ad solvendas pœnas, quas justus debent, ipso facto, etiam ipsi absolventur ab eis , quod est falsum & hæreticum.

¶ 93.
Specialis
communi-
catio bo-
norum o-
perum cō-
sistit in du-
plici illo-
rum valo-
re, merito-
rio, & sa-
tisfactorio.

His suppositis dicendum est , specialem hanc de qua agimus, meritorum communionem , consistere in duplici valore bonorum operum , meritorio scilicet & satisfactorio , quem quilibet in se bona opera continent. Unde *primò* hæc participatio specialis per modum meriti de congruo , seu , quod idem est , per modum impetrationis (licet alij hæc distinguant , putantes neminem posse nisi sibi ipsi mereri , bene autem alijs impetrare ,) plurimum prodelle potest participanti. Consistit autem hoc in aliquali dignitate impetrandi sibi, vel alteri aliquid, quasi præmium operis , quod dicitur meritum. Unde eo ipso, quod quispiam est peculiari modo membrum alicujus Religionis , v. g. per *Litteras Filiationis* , merita illius Religionis efficiunt, ut DEUS illorum intuitu , conferat ipsi peculiaribus bonis & beneficiis, tanquam membro talis Religionis.

Habet *secundo* hæc specialis bonorum operum communicatio vim satisfaciendi pro peccatis alterius, eo modo quo supra diximus, ita ut ipso facto applicentur ejusmodi bona opera per modum certæ compensationis, pro pœna temporali alterius ; atque ipso facto absolvitur à pœna temporali, non quidem pro toto , inquit S. Doctor in *addit. ad 3. p. q. 26. a. 1.* nisi tantum determinatè pro eo facti

quantum debebatur; quod non habet illa generalis Communio Sanctorum. Et hoc est, quod Opusc. 6. supra citato, dicebat Sanctus Doctor: qui in Charitate vivit particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo: sed tamen specialius illi, pro quibus specialius fit aliquod bonum; nam unus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs, ad quæ plures Congregationes admittunt alios.

CAPUT III.

Vtrum sit aliqua specialis Communicatio bonorum operum in Ordine Carmelitarum, & quænam illa sit?

REMITTENDUM est ex Doctore Angelico, *specialem* Communicationem propriè & formaliter esse, quæ aliquis vel aliqui applicant sua opera bona familiaribus, & benefactoribus: *singularem* vero Communicationem esse illam, quæ aliquis pro uno determinatè, & in singulari eadem opera applicat. *Generalem* autem, quæ aliquis ordinat opera sua ad bonum Ecclesiæ in generali. In præsentibus non est quæstio de hac ultima Communicatione, sed de duabus prioribus, quæ cum sint particulares, comprehendimus ambas sub nomine specialis Communicationis ad evitandam verborum prolixitatem.

DICTUMS ergo existere & vigere hujusmodi specialem communicationem bonorum operum in nostro Ordine Carmelit. prout ex Pontificijs Diplomatis & statutis Ordinis, infra patebit. Quo verò tempore inceperit hæc meritorum specialis communicatio in Ordine difficile est determinare. Aliqui repetunt altius hanc Communicationem, videlicet, à temporibus S. Elisei Prophetæ; & colligere volunt ex 4. Reg. 4. ubi non obscure insinuat, fuisse eo tempore, anno nimirum 143. ab Orbe condito, in monte Carmelo locum aliquem particularem & sacrum, ubi admittebantur nonnulli solemnioribus anni diebus, non quidem ad sacrificandum, cum id in templo Hierosolomytano solummodò licitum esset, verum ad peculiarem communicationem spiritualem; adeoq; quasi familiares, & Confratres videbantur, & consequenter Carmelitis, qui tunc *Filij*

Pro-

I94.

In Addit. ad 3. P.

quæst. 26.

art. 1.

Quid sit specialis, quid singularis, quid generalis & cæt. communicatio?

Datur in

Ord. Carmelit.

specialis bonorum o-

peru communicatio.

Quo tempore ceperit?

An à temporibus S. Elisei Pro-

phetæ?

Prophetarum vocabantur, specialiter in orationibus & jugi eorum meditatione commendati. sententia ista satis est incerta, & nullo solido nititur fundamento. Abulensis quidem, Lyranus, Cajetanus, Caspar Sanchez, Serrarius & alij, in hunc sacræ Scripturæ locum, agnoscunt admittuntq; locum aliquem peculiarem fuisse in monte CARMELI, ad quem nonnulli conveniebant, solemnioribus anni diebus, ad audendum Verbum DEI, & consolationem instructionemq; spiritualem ad illis DEI hominibus hauriendam: verum de peculiari aliqua in orationibus & bonis operibus Communicatione nullam faciunt mentionem.

195.

Probabile est viguisse in Oriente ante octingentos annos.

Anno Christi 868.

In Vita S. Euphrosynæ Metaph.

NONNULLI referunt hanc specialem bonorum operum in Ordine nostro Communicationem ad ea tempora & sæcula, quibus maximè floruit Carmeli Ordo in Oriente. Hæc opinio est valde probabilis; quippè cum Ordinis Confraternitas etiam illo tempore in Oriente extiterit, uti in *prima parte* diximus, eamq; Confraternitatem varijs gratijs spiritualibus locupletaverit ibidem, ante octingentos annos ADRIANUS II. relatus à SIXTO IV. & GREGORIO XIII. probabile est, eosdem Confratres ad specialem bonorum operum Ordinis participationem; quod legitur a vitis Patrum obvenisse Paphnutio, honorabili viro Alexandrino, qui fuit nostræ sanctæ Euphrosynæ parens. Et sanè Confraternitas ista in Oriente videtur potissimum fundata in hac speciali bonorum operum Communicatione; nam ut plurimum solent hoc favore donari Confratres alicujus Ordinis, nec in Oriente illo tempore extabant alia beneficia ex parte Ordinis, nisi ista specialis meritorum seu bonorum operum participatio, ratione cujus Confratres nostri constituerentur. Nam indulgentiæ & alia indulta Apostolica, potius respiciunt ipsam Sedem Apostolicam, à qua promanant, quam ipsum Ordinem; ideoq; ratione horum formaliter & proprie non poterant Fideles constitui Confratres nostri specialiter, nisi velut membra de bonis totius Ordinis participarent.

196.

Certum est extitisse in Occidente tempore S. Simonis Stock.

ALII demum reducunt hanc meritorum Ordinis Communicationem ad ea tempora, quibus ab Oriente, propter Saracenos infideliumq; incurfiones, persecutionesq; translatus Ordo noster in Europam, & à DEIPARA sacro SCAPULARI donatus & ornatus, Marianam ejusdem SCAPULARIS Confraternitatem illustravit.

Hæc sententia est certa & secura. Primo quidem, quia hæc specialis communicatio traditur in formula conferendi Scapulare Confratribus nostris, à temporibus s. SIMONIS Stock, qui aliquot post transmigrationem Ordinis ab Oriente in Occidentem annis, & defuncto postmodum, vel, ut alij volunt, resignante Generalatus officio Alano Britone, in Priorem totius Ordinis Generalem electus fuit.

Quod autem in dicta formula id habeatur, testantur antiqua Ordinis Breviaria, & per vetusti libelli, in quibus hæc ipsa formula continetur. Præterea hoc ipsum constat ex libro *speculum Ordinis* nuncupato, ubi nonnullos specialiter susceptos fuisse in Anglia ad hanc meritorum Ordinis participationem refertur, qui Religiosos nostros ex Oriente transmigrantes primi receperant, & in suis prædijs monasteria eis construxerant.

Tandem patet id ipsum ex nostro sapientissimo *Thoma Waldense*, qui in *supracit. Tom. de Sacramental.* refert *Witleff* hæreticum, quam maxime oppugnasse Literas Fraternalitatis, quibus nostri & alij Religiosi sua bona opera, seu merita sæcularibus communicabant in regno Angliæ. Prodidit autem suas hæreses *Witleff* sub GREGORIO XI. uti supra diximus, circa annum 1372. at cum eo tempore jam publica adeo esset illa Communicatio bonorum operum in Ordine, credendum est longè ante dictum annum 1372. exortam fuisse. Nec silentio prætereundum est, varios etiam Pontifices dictam bonorum operum Communicationem suis diplomatibus approbasse & confirmasse: ex quibus omnibus ejus antiquitas non obscure elucescit, de his autem diplomatibus commodius infra agetur.

Stabilita igitur bonorum operum Ordinis nostri Communicatione, superest ut videamus, qualis sit hæc Communicatio, quæ erit pars altera proposita in titulo questionis. Dicimus ergo in Ordine nostro duplicem esse ejusmodi Communicationem: quarum una fit per *Literas Filiationis* seu *Fraternalitatis*, quæ aliud non sunt (ut generice illas describamus) quam diplomata, quibus Superior alicuius Cætus Religiosi quempiam facit participem meritorum ejusdem Cætus: altera vero per *susceptionem sacri SCAPULARIS nostri*, qua Confraternitati Ordinis incorporantur, quicumque dictum Scapulare suscipiunt. Et de hac utraque Communicatione, latius agemus in *subsequentibus Capitulis*.

Oppugnat in Angliæ Witleff literas Filiationis seu Fraternalitatis.

Duplex datur in Ord. Carmel. meritorum communicatio. Quid sint literæ Filiationis seu Fraternalitatis?

Nn

CA-

CAPUT IV.

De Communicatione bonorum operum, quæ fit in Ordine nostro per Literas Filiationis seu Fraternitatis.

197.

Varijs nominibus apud diversos hæc litera insigniri solent.

Per quos distribui soleant?
Et in qua forma?

LITERAS Filiationis, quas Ægidius Carlerius, Decanus Cameracensis Tract. de punitione peccatorum publicorum contra Nicolaum Taboritam in Concilio Basiliensi vocat Literas Fraternitatis: Galinenses Literas Gratiolas, ut notatur in Chronico Lyrinensi Tom. 2. pag. 178. Carthusiani, teste Durlando, lib. 5. Chron. Carthuf. Cap. 8. appellant Literas participationis Ordinis, Paulus 4. dist. 45. Receptionis ad beneficia Ordinis: Alij aggregationis ad nuncupant, nonnulli Beneficium Ordinis, uti Andreas Fontibradensis: per has, inquam, literas, seu per distributionem illarum fit participatio meritorum Ordinis, extenso meritorum nomine, hæc litera solent ordinariè à solo Præposito Generali conferri, quibus aliquis in singulari ac nominatim admittitur ad participationem omnium bonorum operum Ordinis: apud Discalceatos Carmelitarum in hac forma dari consueverunt.

Fr. N. Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. ELIZABETHÆ
Præpositus Generalis N.N. in Domino salutem.

Cum salutis nostræ auctor JESUS Christus, præsertim discipulos, & nos absentes imitatores suos erudiens, singulari fraternæ charitatis præcepto præsertim obstinuerit: ut scilicet diligamus alios, quemadmodum ipse dilexit nos, tanto magister, & instituto nostro valdè consentaneum est, ut salutem proximorum operam similem ei, quam Redemptor noster navavit, impendamus. Cum vero ipse sic nos dilexerit, ut labores, dolores, operaque sua omnia in salutem nostram, cum infinito merito ac satisfactione direxerit, nullum eum imitandi modum similem invenire posse videmur, quam si è pijs laboribus & operibus nostris qua ex ipsius gratia præstamus, & spiritualibus bonis, quibus ipsius Thesauro fruimur, partem aliquam proximis tribuamus.

Quapropter nos, qui licet immeriti, prædictæ Congregationi præsumus, & bona ejus augere, atq; in alios justis de causis derivare debemus, confisi meritis & precibus beatissimæ Virginis *MARIÆ*, Matris *DEI* & nostræ, cui specialiter famulamur, ac ejus Sponsi sanctissimi *IOSEPH*, nec non sanctorum Prophetarum *ELIÆ* & *ELISEI* Patrum nostrorum, sanctorum Angeli & *Anastasi* Martyrum, *Alberti* & *Cyrilli* Confessorum, ac sanctæ *THERESIÆ* Virginis, & aliorum Sanctorum ac Sanctarum Ordinis nostri, & omnium Sanctorum & Sanctarum *DEI* (*Te*) peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium privilegiorum, indulgentiarum, precum, jejuniorum, disciplinarum, peregrinationum, piorumq; operum, aliorumque quorumvis bonorum spiritualium totius nostræ Congregationis admittimus. Precamurque divinam Bonitatem, ut (*Te*) per hoc nostrum ministerium prædictorum bonorum cum proventu maximo consortem efficiat. Datum &c.

Circa tenorem hujus Communicationis, nonnulla necessariò declaranda occurrunt, quæ non parum implexa videntur. Primum, quo jure Generalis Ordinis nostri extendat Privilegia Ordinis ad Sæculares, quibus istiusmodi Literæ Fraternitatis seu Filiationis donantur? Secundum, quænam sint illa Privilegia? Tertium, quo jure idem Præpositus Generalis conferat indulgentias Religionis nostræ dictis Sæcularibus? Quartum, quales sint istæ indulgentiæ?

Quantum ad primum, advertendum est, hic non esse quæstionem de bonis & pijs operibus, qualia sunt jejunia, preces, sacrificia & his similia, quæ in Congregatione sunt: quia de illis ostendimus infra Capite septimo quâ autoritate communicentur Sæcularibus: sed quæstio est de Privilegijs Apostolicis, quò videlicet jure Præpositus Generalis per Literas Filiationis extendat hæc Privilegia ad Sæculares, prout continetur in superiori tenore & formula Communicationis? Quia videtur id nulla ratione fieri posse sine autoritate Apostolica, uti patet.

Ad hoc respondetur Constitutionem extare *CLEMENTIS VII.*

N n 2

cu.

198.

Satisfit nō nullis dubitationibus circa superiorē formulam occurrentibus.

cujus principium est : *Ex clementi Sedis Apostolicæ, &c.* per quam Ordini facultatem concedit, non solum Confratribus nostris, qui habitum nostrum sive Marianum Scapulare gerunt, gratias omnes & privilegia Apostolica communicandi, verum omnibus alijs, qui gratijs eorundem Confratrum gaudere voluerint. Hanc Constitutionem confirmavit postea GREGORIUS XIII. anno 1577. per Bullam incipientem : *Vt laudes gloriosissimæ Virginis, &c.*

199.

Recensentur privilegia, quæ ex indulto Apostolico communicari valent.

QUANTUM verò ad *secundum*; quænam sint ista privilegia Apostolica, explicat idem CLEMENS VII. in sua mox citata Bulla. *Primo* quod possint Confessarium sibi deligere, sæcularem vel religiosum, qui ipsos possit absolvere semel in vita, & in mortis articulo, ab omnibus casibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis paucis quibusdam.

Secundo, quod hujusmodi electus Confessarius facultatem habeat commutandi eorum quæcunque vota in alia pietatis opera: exceptis votis visitationis ultra marinæ, & ad limina Apostolorum Petri & Pauli de Urbe, & ad sanctum Jacobum in Compostella: nec non Religionis & Castitatis.

Tertio, quod juramenta eorum quæcunque sine tertij præjudicio possit idem Confessarius relaxare.

Quarto, si contingat tempore interdicti aliquem ex hujusmodi Privilegiatis ab humanis excedere, corpora eorum Ecclesiasticæ sepulturæ cum aliqua honesta funerali pompa tradi possunt. His & similibus Privilegijs, quæ distinctius prosequemur infra, gaudent ut fruuntur illi, qui literas Fraternalitatis seu Filiationis ab Ordine recipiunt.

200.

Quid de indulgentijs dicendum sit, &c.

Vide de his Gabriellem à S. Vincentio *Part. 3. de*

TERTIUM quod inquirebatur est, quo jure & autoritate per memoratas sæpius literas, indulgentias etiam Ordinis Præpositi Generalis communicet?

Pro præsentis dubij elucidatione notandum est, non deesse Doctores, qui opinentur posse Generales, & Provinciales Religiosorum, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in sibi subditos habent, jure divino ipsis indulgentias concedere. Verum cum juxta communem, sententiam potestas concedendi indulgentias plene residet in solo Papa, & in ipsis Episcopis sit limitata & contracta pro declaratione alicujus Ecclesiæ ad indulgentias unius anni: & pro anniversario

sario ad quadraginta dierum, ideo respondatur ad propositam quaestionem per literas Filiationis auctoritate propria non concedi indulgentias ab Ordinis Generali, sed ex concessione Sedis Apostolicae eas communicari, & extendi ad illos, prout constat ex CLEMENTE VII. in Bulla, ubi supra; quæ Ordini indulget communicare easdem gratias per literas Fraternitatis seu Filiationis, quibus ipsi Confratres nostri, qui Scapulare gerunt, fruuntur. Quod vero hic nomine gratiarum intelligantur etiam indulgentiæ, ipsemet Pontifex CLEMENS declarat in eadem Bulla, in qua, postquam inter alia indulgentias Confratribus nostri Scapularis concessas à varijs Pontificibus innovasset, & approbasset, postmodum subiungit, iisdem gratijs posse frui quoscunque alios, si ita visum fuerit.

PRÆTEREA ex Privilegio URBANI V. quod refert Casarub. in Compend. verb. indulgentiæ quoad seculares. 4. num. 6. possunt Generales & Provinciales communicare Benefactoribus Ordinis indulgentias, orationes, aliq; bona spiritualia. Hoc Privilegium impensè extollit Peyrinis Tom. 2. q. 3. Cap. 6. num. 9. inquit: *ista est magna concessio, quam ex jure communi non habebant; cum enim indulgentiæ tantum valeant quantum sonant, non possunt applicari, nisi ijs, qui in eis nominantur expressè. Cum ergo in dicto Privilegio concedat Pontifex, quod Prælati possint Indulgentias communicare, certum est, quod superiores nominati in præfato Privilegio, possunt omnes Indulgentias concessas Regularibus dictis Benefactoribus applicare, etiamsi in illis nihil tale dicatur, quod absq; hoc Privilegio fieri non poterat, atq; ita Suarez Tom. 4. in 3. part. disp. 55. sect. 5. num. 13. Duobus autem modis intelligo posse fieri hanc applicationem. PRIMO applicando fructum dictarum Indulgentiarum, eo modo quo applicantur defunctis. SECUNDO concedendo, ut dicti Benefactores possint per se ipsos dictas Indulgentias lucrari, faciendò ea, quæ ad id requiruntur. Hactenus Peyrinis.*

JAM verò quoad postremum, quænam sint illæ Indulgentiæ, quibus validè frui possint his temporibus, tam ij, qui admittuntur per Literas Fraternitatis ad participationem, quam Confratres nostri Mariani Scapularis, exigit peculiarem Tractatum, de quibus in 4. Parte prolixius agemus.

SOLENT PP. Generales, petentibus Prælati inferioribus, Lite-

Sacram.
penit. disp.
13. q. 7.

Nota magnum privilegium Prælati Regular. ab Urbano V. concessum quoad communicationem indulgentiarum, &c.

201.

Nn 3

ne,

ne, & muneris sigillo apposito, sine *data* tamen, quam hi, dum illas distribuunt, apponere solent: **QUÆRITUR**, utrum, si priusquam distribuantur & dentur Benefactoribus, moriatur eas concedens Generalis, distributio post mortem facta teneat, aut nulla sit?

Affirmativam partem, quod nimirum nulla sit, videtur suadeat hæc ratio. Hæc gratia est non facta sed facienda, quæ inter se differunt, quod hæc cesset per mortem concedentis, minime illa, Ergo &c.

Satisfit
questioni
curiosa.

RESPOND. Tamen validas esse: censetur quippe gratia facta, licet enim desit *data*, quæ apponi solet in actu distributionis, tamen hoc non arguit gratiam tunc fieri, ad solum indicat Benefactorum ex illo tempore incipere frui gratia ac beneficio, quod ipsi Generalis jam prius contulerat. Confirmatur, quia inferior Prælati Literas illas distribuens, non censetur largiri participationem necitorum, sed solum exequi factum Generalis, cujus est merus executor, ac ejus nomine donat has Literas, &c.

Utrum Literæ
Filiationis etiam
defunctis commu-
nicari valeant?

QUÆRIT Franciscus Bordonus Operum suorum Tom. 3. *solus*. 84. utrum hujusmodi Filiationis Literæ non tantum vivis, verum etiam defunctis concedi valeant?

RESPONDET ipse affirmativè; & rationem reddit, quia communicatio bonorum operum, quæ per Literas illas conceditur, est bonum proprium Religionis, existens in potestate Prælati, quæ subest dominio, ergo illam largiri potest quibuscunq; idoneis ac capacibus, at etiam defuncti capaces illius sunt, quoad satisfactionem pro pœnis in purgatorio luendis, & per modum suffragij: sicut & quilibet orare potest pro mortuis. Neque hoc est indulgentiam concedere defunctis, quia Superiores per hujusmodi concessionem Thesaurum Ecclesiæ non aperiunt, neq; ex illo hauriunt aliquid, per quod indulgeatur defunctis; sed hujusmodi bona opera sunt propria Religionis, prout spectantur in fieri, vel futura, post factum enim non amplius sunt Congregationis, sed reponuntur in Thesauro Ecclesiæ.

An concessæ vi-
ventibus,
etiam post
mortem illis
prodesse possint?

QUÆRIT quoq; idem Author, an Literæ Filiationis concessæ viventibus prosint etiam illis post mortem? **RESPONDET** ipse negativè, nisi Superior id exprimat: quia gratiæ & privilegia regulariter solum vivis concedi solent: nec benefactores sunt post mortem

tem, sed tantum dum in hoc sæculo vivunt. Sed affirmativè respondendum est; sufficit quippè, quod in hac vita existentes Religionis benefecerint, ut defuncti illius suffragijs gaudeant: imò hoc vel maxime suis beneficijs intendunt, ut tunc quando in altera vita in extrema necessitate erunt, è qua seipfos eripere nequeunt, per Religionis suffragia subleventur. Hoc ipsum confirmat usus ac praxis diversarum Religionum, quæ non contentæ communibus Ordinis suffragijs, etiam particularia pro illis, qui præfatas Literas habuere, post obitum eorum præstanda decernunt; è quibus nostra *Prima parte Constitution. Cap. 17. num. 6. & 7.* terna integra Officia defunctorum recitari, & tres Missas cantari, designatis tribus anni temporibus &c. præcipit, præter ea, quæ quothebdomadibus & diebus præstari consueverunt.

CIRCA modum observandum in communicandis prædictis Filiationis literis, sic diserit Antonius Caracciolus in *Notis ad Constitutiones Cleric. Regularium part. 2. Cap. 1.* [Prælati Religionum non debent esse nimis liberales in concedendo hujusmodi participationibus. Accedit facile contemni, quod facile obtinetur. Eiusmodi verò beneficium, magnum æstimari debet, ob insignes fructus atque lucra, quæ secum gerit; quæ latè prosequitur Waldensis Carmelita *Tom. 3. tit. 10. quest. 94. &c.* Nostri veteres Patres paucissimos, eosq; nobis insigniter beneficos adsciscebant.] Hactenus Caracciolus.

Theophilus Raynaudus in *Heteroclitis spiritualibus Tom. 2. sect. 5. punct. 3.* [Ne literæ Fraternalitatum, inquit, vilescant & despiciantur, curæ sit ijs, per quos præbentur, ne adeò frequenter & passim dentur, ut etiam veniant ad immerentes. Curent etiam, ut expectantur potius, quàm obtrudantur, aut ingerantur: præsertim cum per conditionem personarum licet. Plerumq; enim talia obtrudere, est projicere margaritas ante porcos.] Ita ille.

Peyrinis in suo *Formulario litt. P. Cap. 1.* ubi etiam normam harum literarum tradit, notatq; eas reddi contemptibiles per nimiam abundantiam: cum sint alioquin thesauri inæstimabiles. Vnde, inquit, meo videri non deberent concedi, nisi verè benefactoribus & amicis, & cum consensu Capituli localis: & illi quibus conceduntur, deberent scribi in aliquo libro particulari ad hoc, ut post eorum mortem, Religio illis debita officia celebra-

202.

Nonnulla
feriò anim.
advertenda
in concedendis
Litteris Filiationis,

Utrum Literæ Filiationis concessæ ab uno Generali, eo defuncto, aut amoto expirent?

lebraret. Quod autem Peyrinis *ibidem* addat, & existimet, concessæ ab uno Generali expirare eo mortuo, aut remoto ab officio, non probatur nostro in Ordine, vixq; aliud habet fundamentum, quam consuetudinem, quæ apud nos est inaudita quoad hanc retractationem, seu expirationem. Præterea gratia facta indefinite, & sine la determinatione, aut limitatione concessa, durat etiam post mortem, vel cessationem officij illam concedentis, etiam re integra. *Cap. si sup. gratia de offic. Indic. delegat. in 6.*

Curca easdem Literas observat Irenæus à S. Jacobo, quod debeant reservari pro insignioribus Ordinis Benefactoribus, nec sine abusu potest cuiusq; arbitrio dispensari, alias sine effectu conferantur; cum superius intentio sit ipsi solum illas concedere, qui suis beneficijs verè merentur in commendam Ordinis hereditatem adoptari. Unde fit, ut ejusmodi Literæ, parvas profutura ceteris, qui licet aliquo modo bene meriti, remissius tamen agant in Ordine. Ita ille in *Tract. de singul. V. Protect. sect. 3. cap. 4. §. 3.*

Idem sentit Lezana Tom. 4. qq. Regularum Verbo suffragia. Quando conceduntur (loquitur de literis Filiationis) alicui titulo Benefactoris, si talis causa non subsistat, non valeret talis Communicatio bonorum, quæ deficiente causa, sine seu conditione concessio, deficit ipsa concessio. Citatur pro hac sententia Sorbium in *Addit. ad Comp. Privil. mendic. V. m. quoad secul. Peyrin. Tom. 2. de Pralat. q. 3. c. 6. n. 13. & Ludovicus à Cruce. in Expos. Bullæ Cruc. disp. 1. c. 8. d. 15. n. 16.*

Advertit tamen idem Lezana, quod licet tales Literæ solum Benefactoribus soleant concedi, possint nihilominus etiam non Benefactoribus concedi ex charitate, aut speciali amicitia. Ita eodem Sorbus, Peyrinis, & Ludovicus à Cruce *loc. citatis ex Cordub. & Rodriguez.*

207.

Magna eorum est singularium felicitas, qui velut otiosi & quieti fruuntur Religiosorum

QUANTUM verò conferant, quantoq; in pretio habeant, sunt sæpius memorate Fraternalitatis literæ, luculenter tradit in *monitorio male sper lib. 5. §. 9. num. 9.* Paulus Zehentner subjecto discursu: [Quis, inquit, negare audeat, ingentia illis emolumenta conferre, quibus in medio nationis prævæ, hoc est, corruptissimo seculo constitutis, sive insignia pietatis exercitia applicantur, sive per sua Divini cultus obsequia, sive quotidiane affligendi corpora steritates, quæ inter sacrata Religiosorum hominum claustra, in vigulas propè horas fiunt? Quid pulchrius, quam sine expensis

extra suum laborem posse ditescere, & ingentes cumulare thesauros? Quid iucundius, quam sedendo post sarcinas, custodem potius quam militem, venire tamen in partem spoliatorum? Quid felicius, quam otiose spectantem alienas pugnas & vulnera, cum victoribus coronari, & eodem quasi victoriae ferto redimiri? sive quod tantumdem est, aspicere eminus, quomodo homines Religiosi pie in corpus suum deserviant, fetis asperis pungant latera, flagris lacerent humeros, jejunijs constringant ventrem, simulq; de eorundem gloriosis conatibus, quasi de proprijs participare? Hoc deniq; est *tolere quod non posuisti, & metere, quod non seminasti.*

Quamquam verò pauculi illorum, quos mundus numerat inter suos, admittantur ad sanctissima Religiosorum familiarum merita, velut membra, de eisdem succo sanguinis communicantia: nihilominus tamen multum saltem juvari possunt orationibus eorundem, quos sibi officijs suis, liberalitate, eleemosynâ, alijsq; modis fecerunt obstrictos. Narrabo ad rem presentem, quod consignatum reperio in Revelationibus *S. Brigittæ*, indicij genus omnino formidabile.

Qui pro tribunali sedet, DEUS fuit: rea ante eum anima trepidabat, jam è corpusculo suo, ruinosâ domo, exitura. Adversus hanc ibant Æthiopes stygij, non tantum armati communi humanæ gentis invidiâ, sed etiam multis accusationibus graves, inter quas palmaria fuit, quæd moriturus ille ad ultimum usq; momentum, nunquam hæcenus sincerum de noxis gravibus dolorem, ex motivo charitatis divinæ concepisset. Jamq; putabant savi accusatores, conclamatum esse de salute convicti hominis, & inferos accessione prædæ augendos. Cum ecce tibi Angelorum adest Regina; neq; sola, sed stipatâ multorum coronâ Religiosorum, partim istâ adhuc vitâ degentium, partim sanctè defunctorum; quos cum iussisset patronos esse reo, & in periculo vacillantis causæ facundos apud judicem intercessores, pro eo, quem sortè meminerant suum olim extitisse benefactorem, ita perorârunt, ut evincerent: nam precibus suis, jam expiranti homini, veram perfectamq; de commissis flagitijs contritionem impetrârunt, hoc est, clavem ad Cælum. Sed ipsa verba ex facta *S. Brigittæ* revelatione, Lectori offero, quia & suavem affectum inspirant, & solatium affundunt,

Itaq; *post ista* (intellige multarum accusationum capita) *audiebatur,*

00

vigilijs,
precibus,
jejunijs, la-
boribus
tanquam
proprijs.

Luc. 19.

21.

Sæcularibus elec-
tibus eleemo-
synam bene cõ-
pensant.
Religiosi in
spiritualibus.

In Revelat.
S. Brigittæ

l. 4. c. 7.

Expertus
est id quidam,
ante mortem
suam gra-
viter accu-
satus apud
DEUM à
malis ge-
nijs.

Sed volente D. Virgine, patrocinium ejus susceperunt Religiosi varij, quibus benefecerat.

Tandem & veram Contritionem apud Christum eidem morienti impetrarunt.

Enc. 16.

batur sonitus, & quadam vox loquebatur, dicens: Silete & auscultate vobis, Angeli & demonia, quid Mater DEI loquitur. Et statim ipsa Virgo, ante sedem judicij apparens, & habens sub mantello suo, quasi occultas aliquas res magnas, dixit: O inimici, vos persequimini misericordiam & cum nulla charitate diligitis Iustitiam. Licet in operibus bonis hic appareat defectus, pro qua haec anima non debet obtinere Caelum; videte tamen quid ego habeo sub mantello meo. Cumq; Virgo ambos aperisset sinus mantelli, apparuit sub uno quaedam modica Ecclesia, in qua aliqui Monachi videbantur, sub alio vero apparuerunt mulieres, & viri, amiciq; DEI Religiosi, & alij, & omnes voce clamabant, dicens: Miserere misericors Domine. Deinde factum est silentium, & Virgo loquebatur dicens: Scriptura dicit, qui habet fidem perfectam, potest per eam transferre montes in mundo. Quid ergo nunc possunt, & debent voces istorum facere, qui & fidem habuerunt, & servierunt DEO cum ferventi charitate? Quid vero illi amici DEI facturi sunt, quos iste rogavit pro se, ut possit separari ab inferno, & obtinere Caelum, nec pro bonis operibus suis aliam remunerationem quaesivit nisi caelestia? nunquid non possunt, & valent omnes eorum lacrymae & preces, apprehendere & elevare eum, ut doceat ante mortem suam, divinam contritionem cum charitate?

Hanc DEIPARÆ oratiunculam excepit brevè silentium: tandem deinde Filij judicis approbatio, quam (suspensis adhuc accusatoribus & reo super eventu) hac sententia manifestam fecit: propter peccatorum meorum, obtinebit jam ille divinam contritionem ante mortem, & vitam quod non veniat in infernum, sed purgabitur cum illis, qui gratiam peccatorum habent in Purgatorio. Et quaeso, quis nolit impolite unum hominem DEO per Religionis vota consecratos venerari? in eorumq; se insinuare familiaritatem, quorum tanta est apud NUMINIS solennis autoritas, ut possint pauculis verbis omnem vim stygis retundere? Quis non eorum velit flagitare preces? & obsequijs studiisque devoti intercessionem, cor judicis DEI everberaturam ad benignitatem? Quis denique nolit Religiosos sibi facere amicos de mammillis impij, si benefactoribus suis (quantumvis diu sceleratis, semperque expeditam viam ad aeterna tabernacula?] Haecenus Zehentner.

CAPUT V.

De altera speciali bonorum operum in Carmeli Ordine Communicatione, ratione scilicet SCAPULARIS Parthenij.

DECLARATA bonorum operum Communicatione, quæ fit in Ordine nostro per Literas Filiationis seu Fraternalitatis, restat ut alteram explicemus, quæ provenit ex eo, quod quis suscipiat Carmelo-Parthenium SCAPULARI, & Mariana Ordinis nostri Confraternitati incorporetur. Quæ Communicatio est tertium privilegium Confraternitatis beatiss. Virgini MARIE de monte Carmelo, de quo ex instituto in hac parte agere proposuimus. Nam illa quæ per Filiationis literas solet fieri, de qua in precedenti capite discernimus, non est annexa receptioni Carmeliticæ SCAPULARIS, adeoque nec inter privilegia Confraternitatis annumeranda. Potest quippè illa quispiam frui, licet non gesset sacrum habitum nostrum sive Scapulare: hac vero nequaquam. Eo tamen ipso, quo dictum habitum suscipit, absque alio onere gaudet hac Communicatione, quæ quidem secundum substantiam est eadem cum altera, quæ fit per Literas Filiationis: distinguitur vero penes modum, & institutionis suæ rationem.

Posteaquàm igitur quispiam secundum formulam in Ordine præscriptam suscepit sacrum habitum, sive Scapulare nostrum, tum Sacerdos, qui contulit illi habitum, subjungit post orationes, & alios ritus pios hæc verba: *Ego Autoritate qua fungor, & mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem nostram sacra Religionis, & investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.*

Quæ verba exponendo Theophilus Raynaudus sic differit: *In Scapulari. Marian. Parthenij. Cap. 40*
 Nomine ORDINIS comprehendit, & antiquam Familiam Carmelitanam, & novam Terestianam, ita ferentibus pactis convenis inter utrumq; Cætus Capita compertum est: firmavitq; ea pacta PAVLVS V. anno 1617. Pontificatus sui duodecimo, dato Diplomate, cuius incipit, Ad ea quæ personarum.

204.

Alteræ specialis meritorum sacri Carmelit. Ordinis communicatio constituit tertium beneficium Carmelo-Partheniæ Confraternitatis.

In quo hæc differat à priore, & in quo eum illa conveniat

Quinam
nomine
Ordinis in
præfatis
verbis com-
prehend-
dantur?

205.

Quidnam
intelliga-
tur nomi-
ne bonorū
spiritua-
lium, &c.

In Supplem.
Ord. Mm.
fol. 26.

Ad hæc nomine Ordinis, in hoc negotio comprehenduntur quoque Soldati Scapularis externi. Nam quamvis hi non sint membra, veluti substantialia Religionis Carmelitane, neque sint filij naturales ac proprii ejusdem mysticæ Mariæ sed tantum adoptivi & gratiosè acciti, tamen ex quo per adjunctionem legitimam sunt cooptati, habentur ut FRATRES Ordinis, & bonis ejus participant. Et vicissim Fratres cum Religiosi, tum Ascetici, participant meritis & spiritibus bonis eorum: ita enim censendum est ferre mentem eorum. Et idcirco fundamentum id asserendi, petitur ex Communione, quæ debet intercedere inter membra ejusdem corporis mystici. Dissertò verò id tradit præstant Theologus Leo à S. Joanne in *fœdere spirituali* &c. Hactenus Raynaudus.

Alia nonnulla circa mox relata verba discutienda, dissolventiaque; occurrunt, ex quorum elucidatione plenior, perfectiorque haberi poterit notitia & æstimatio talis tantique Confraternitatis nostræ privilegij: qualis est hæc specialis bonorum operum participatio.

QUÆRITUR ergò primò, an Confratres nostri sint participes omnium omninò bonorum spiritualium Ordinis: an verò tantum bonorum in aliquo solum genere? Pro resolutione hujusmodi observandum est, quod per bona spiritualia Ordinis, multa diversa possint intelligi. Primò Privilegia Apostolica, Ordini concessa. Secundò Indulgentiæ plures ac variæ. Tertio Complura opera bonorum formataque; charitate, quæ exercentur à Religiosis. Rursus hæc opera bona possunt esse in multiplici differentia; alia procedunt à virtutibus Theologicis, quales sunt actus fidei, spei & charitatis: alia à virtutibus moralibus infusus: qualia sunt jejunare, orare, dare elemosynam &c. quia consentaneum est fidei & legi divinæ. Aliæ virtutibus naturalibus & moralibus acquisitis, imperatis tantum charitate: qualia sunt sobriè manducare, bibere, aut alios virtutibus moralium actus exercere; quia rationi naturali consentaneum est quæ præclare exposita reperies apud nostrum Ven. P. Joannem JESU-MARIA Cap. 5. part. 2. *instructio. Novitior.*

Dicendum ergò quantum ad privilegia Apostolica, gaudent Confratres, prout in *precedenti Capite* exposuimus, & in *Parte* prælatius prosequemur, non verò exemptionibus & immunitatibus Ordinis, uti quorundam fuit aliquando opinio, seu potius gravissimum error, qui intuitu pietatis, vel devotionis inconsideratè hoc afferunt, uti refert LEO X. in sua *Constitutione* 87. Propterea expo-

in dicta formula, quâ conferimus S. SCAPULARE Confratribus nostris, adduntur hæc verba: omnium bonorum spiritualium, ad excludendas exemptiones, & immunitates Ordinis, quæ sunt privilegia temporalia.

Rurfus in Privilegijs spiritualibus Ordinis, participant tantum in ijs, quæ eorum statui & conditioni conveniunt, suntq; specificata à summis Pontificibus, uti in dicta Parte quinta videre erit. Quantum ad Indulgentias respondebimus & exponemus in sequenti hujus Operis Parte! De operibus autem bonis dicimus, quod omnium omnino sint participes, sive sint opera virtutum Theologicarum, sive moralium infusarum, sive moralium acquisitarum, eo modo, quo paulò ante dicebamus. Et ratio hujus est; quia omnia hæc opera sunt meritoria vitæ æternæ, de condigno quidem ipsi, qui ea operantur, de congruo verò illi, cui communicantur. Ita Doctor Angelicus in 2. d. 29. q. 2. a. 1. ad 4. & 1. 2. q. 114. art. 3. Advertendum autem est, hæc omnia opera valere Confratribus ad promerendum & obtinendum à DEO diversa beneficia. Si verò sermo sit de iisdem operibus quoad satisfactionem, sola ex ijs operibus, quæ sunt pœnalitè profunt ipsis, uti supra quoque dictum est.

QUÆRITUR secundò, an stante hujusmodi omnium bonorum operum Ordinis Communicatione, Religiosi nostri, nulla penitus sibi retineant opera bona propria, & quæ alijs non communicentur?

RESPOND. Ex sancto Thoma Religiosos nostros, & quoscunque alios in gratia constitutos per sua opera bona mereri sibi vitam æternam de condigno; quod meritum proprium manet ipsis, nec alijs communicatur, aut communicari valet; de hoc enim merito verificatur illud veluti Theologicum effatum Gratia non fructificat, nisi in proprio solo. Et rogantibus (ut scitè in hanc rem ait quidam) Date nobis de oleo vestro, respondendum est: Ite ad vendentes, & emite vobis; ne forte non sufficiat nobis, & vobis. Soli enim Christo Domino hoc concessum fuit, ut ipse nobis salutem æternam de condigno mereretur, ex eo quod ejus gratia, gratia fuit Capitis: puri vero hominis solum est personalis.

Deinde quantum ad rationem satisfactionis attinet, si quispiam Religiosus etiam subditus per opera sua bona velit satisfacere pro peccatis proprijs, & ad hunc finem in particulari ea ipsa opera applicet,

Ad quid Confratribus hæc profunt bona opera?

206.

1. 2. q. 114. art. 3. & 6. Bunderius in Concert. compend. tit. 34. art. 21. Utrum stante præfata communicatione Religiosis aliquid proprium mæeat, &c.

& di-

& dirigat, tunc ista opera non communicantur alijs, nisi in superabundantibus, ut ita loquamur; quod secus est de merito: nam tametsi pro se intendat mereri Religiosus, & de facto mereatur sibi de condigno per opera bona, semper tamen extenditur hoc meritum ad Confratres nostros, non quidem sub ratione meriti condigni, sed sub ratione congrui. Rationem suggerit sanctus Doctor his verbis

*d. 20. in 4.
quæst. unica
q. 2. q. 3.
ad 3.*

Qui ex charitate pro alio meretur, saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur: non autem, qui pro alio satisfacit, etiam pro se satisfacit: quia illa quantitas pœnæ, non sufficit ad utrumque peccatum, tamen sibi meretur magis quam sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam. Præjudicium ergo graue inferretur Religioso, si volente quandoque ipso, & intendente in particulari per sua bona opera satisfacere pro suis proprijs peccatis ad alios derivaretur hæc illius satisfactio: quia inuitus spoliaretur ipse, cum illa quantitas pœnæ non sufficiat ad proprium & proinde diluendum reatum.

Corduba

l. 5. de in-

di. 9. q. 42.

Nayaræ.

miscel. 15.

n. 7. de

psal. Be-

Virg.

Mirand.

Tom. 2. q.

30. & alij.

Ut si præ-

latus sub-

dito invito

possit ope-

rum ejus

satisfactio-

nem alijs

applicari

In quibus

Religioso

rum operi-

bus satis-

factorijs

Contra-

tres ordi-

narie com-

municentur

nunquam possit Prælati alijs communicare ejusmodi opera spiritualia, quæ pro satisfactione propriorum peccatorum in particulari exercet subditus, nisi ipse consentiente (probabiliter tamen id potest facere Superior in aliquo casu raro, & gravi necessitate) sicut nec Papa, nec Episcopi per indulgentias applicare possunt, nisi de thesauro Ecclesiæ, neque in illo thesauro communi reconduntur, nisi quæ operanti & satisfaciendi supersunt. Proinde licet subditus, si tollere à se, possit in operibus satisfactorijs, quod si est necessarium alteri applicando, non tamen id ipsum eo invito facere potest Prælati, inquit Miranda. Cujus ratio est, quia in omnibus bonis subditorum spiritualibus non habet plenariam potestatem Prælati, sed spiritualibus tantum superabundantibus communicabilibus, ut probat Corduba in citata questione 42.

COMMUNICANT vero Confratres nostri in operibus satisfactorijs nostrorum Religiosorum; Primo in ijs quæ determinate proprie in Ordine continuo fiunt. Secundo in ipsis superabundantibus operibus satisfactorijs, quæ particularis aliquis Religiosus pro satisfactione suorum peccatorum exercet. Tertio in ipsismet operibus satisfactorijs Religioso ipsi necessarijs, modo ipse velit, vel in hoc consentiente. Quarto in communibus totius Ordinis satisfactionibus: licet enim Religiosi particulares, ut tales, suas non applicent satisfactiones, ap-

plicantur tamen communes, seu quæ Communitatis actibus correspondent. Quod autem dentur hæc communes satisfactiones, quæ Ordini aggregatis & benefactoribus à Prælati applicari & communicari valent, docet P. Gabriel à S. Vincentio Part. 3. de Sacram. pœnitent. disp. 11. quest. 6. & disp. 13. quest. 7. ubi etiam citat N. P. Lezanam Tom. 3. qq. Reg. verb. Bona & v. indulgentia. Idem docet Peyrinis loc. cit. num. 3. his verbis: Similiter bona, quæ faciunt in communi, ut disciplinas, jejunia, orationes & hujusmodi, quæ in Communitate faciunt cum alijs Religiosis simul, seu per se, ex statuto Regule, aut Constitutionum, aut ex præcepto Prælati, cum hæc bona sint communia Religioni, quamvis subditus eis egeat, potest Prælati eo invito, & inscio, alijs specialiter communicare; etiam quoad vim satisfactoriam, quia super bonis Communitatis videtur Prælati habere plenariam potestatem, &c.

Advertendum verò hic est, quod valor satisfactorius bonorum operum, quo in plures disperitur, eo minus singuli participant: cum enim præcipue nitatur perfectioni operum, quatenus ex divina gratia procedunt, & illa operum perfectio sit finita, ita eo minus ad satisfaciendum valebit, quo pluribus ad hunc finem applicabitur. Secus dicendum est de communicatione quo ad vim impetrandi, siquidem non minus alicui prodest oratio propria, si pro pluribus fiat, quam si pro se tantum: nititur enim absolute divine misericordie, quæ est infinita. Unde quoad hanc vim impetratoriam omnia bona opera à Prælati simpliciter possunt applicari, absq; ullo subditorum detrimento. Ita Caracciolus loco supra citat. p. 2. c. 1. §. 14. Vers. de nostrorum. Aliam intercedere nota differentiam inter participantem de bonis aliorum operibus per modum satisfactionis, & participantem per modum meriti seu impetrationis. Ad participandum enim primo modo, requiritur specialis intentio operantis, & specialis intentio Prælati applicantis tale opus bonum quoad valorem satisfactorium tali determinate personæ &c. de quibus nos supra Cap. 2. num. 192. disseruimus. Ad participandum verò secundo modo, sciucet per modum meriti seu impetrationis, non requiritur talis specialis intentio, imò neq; est necessaria scientia operantis, sed potest Prælati ipse per se ea cui voluerit applicare, quia in hoc nulum fit præjudicium subdito, imò fit melior conditio operantis ex multitudine participantium. Tum quia incipientes participare, incipiunt

Valor satisfactorius bonorum operum, quo in plures disperitur distribuitur eo minus singuli participant: & unde hoc procedat?

Alia differentia animadvertenda inter participantem per modum satisfactionis ac per modum impetrationis seu meriti de bonis aliorum operibus &c.

cipiunt etiam de suo alijs communicare : Tum quia DEUS, ob
 misericordiam & liberalitatem, quæ infinita est, talis fructus inimitabilis
 magis ex hoc honoratur ; ex quo bene operans, majores potest
 fructus sperare, majusque augmentum præmij in vita æterna, ut ait
 Richard. in 4. dist. 45. art. 2. quest. 3. in fine. Ita Peyrinus Tom. 2. de
 lat. Religios. quest. 3. cap. 6. num. 3.

207.

QUÆRES Tertio, de quibusnam meritis seu bonis operibus
 intelligenda sit hæc Communicatio : utrum de illis, quæ retribuitur
 seculis seu temporibus Sancti & alumni hujus Ordinis præstitit
 an verò de illis, quæ in præsentem præstant tempore aut impo-
 præstabit &c. Et ambigendi rationem præbet ipse Literarum Filia-
 tionis supra productarum tenor & textus, qui ita habet : *Consi-
 deratis & precibus B. Virginis MARIÆ Matris DEI & nostræ, cui specialiter
 lamur, ac ejus Sponsi sanctissimi IOSEPH, nec non sanctorum Prophetarum
 ELIÆ & ELISEI Patrum nostrorum ; sanctorum Angelis & Anastasij
 rum &c.* Videntur quippè hic applicari merita Sanctorum,
 prioribus seculis in Ordine floruerunt, imò ipsius sanctissime D.
 PARÆque Virginis, ac beatissimi JOSEPH.

Bona ope-
 ra præteri-
 ta in quan-
 tum satis-
 factoria
 applicari
 alijs am-
 plius ne-
 queunt,
 possunt ta-
 men in
 quantum
 merito-
 ria, &c.

In quo sen-
 su dici pos-
 sunt satis-
 factiones

RESPOND. Distinguendo : vel loquimur de operibus
 in quantum satisfactorijs, vel de iisdem ut meritorijs. Si de
 priori modo differamus, applicanda sunt in particulari, antequam
 vel dum fiunt, Confratribus sacrum SCAPULARE gerentibus,
 qui Literas Filiationis seu Fraternitatis acceperunt : alia
 facta sunt, à nullo jam amplius applicari possunt. Ratio est,
 ipso, quo non applicantur antequam fiant, vel dum fiunt,
 opera ut satisfactoria ; si operans minimè egeat, reponuntur in
 muni Thesauro Ecclesiæ, & exinde pro indulgentijs ab habentibus
 auctoritatem, videlicet summo Pontifice, extrahuntur. Si verò de
 operibus ut meritorijs agatur, possunt applicari postquam
 sunt : nam hujusmodi opera licet formaliter transierint, virtus
 tamen remanent in conspectu Dei, neque reperitur hic illud in
 ens, quod respectu satisfactionis diximus intervenire : quia hujus-
 opera, in quantum meritoria non reponuntur in Thesauro Ecclesiæ.
 Quare si aliquando dicatur quod satisfactiones præterite commu-
 centur à Prælatibus Religionum alijs, accipiendum id est de communica-
 ne objectiva, in ratione operis boni, & apud DEUM congruè merito.

rij: non autem de communicatione & translatione formali satisfactio-
 tionis, quatenus satisfactio est. Nam quamvis hoc secundum, (ut
 diximus) fieri nequeat, nisi à Pontificibus deponentibus ex com-
 muni Ecclesie Thesauro opes ibi reconditas: representatio tamen
 meritorum anteriorum, sive eorum, qui nobis conjuncti sunt, aut
 fuerunt, sive etiam propriorum, optimè fieri potest, ut de congruo
 obtineatur à DEO beneficium aliquod. Sic antiqui DEUM sole-
 bant interpellare per vetera progenitorum suorum merita, Abra-
 hami, Isaaci, Jacobi, Davidis: id quod etiam apud sæculares Prin-
 cipes usu receptum videmus, cum exorandi sunt aliquod beneficium:
 memorantur enim eis facta majorum, & prisca nobilitas. Sic David
 sua anteriora benefacta & mansuetudinem representabat DEO; sic
 Ezechias, cum oraret conversus ad parietem 4. Reg. 20. inquit:
*Obsecro Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in cor-
 de perfecto, & quod placuum est fecerim, &c.* Et licet hæc propriorum
 meritorum representatio, sobria & infrequens esse debeat, ut notavit
 Suarez, lib. 2. de Orat. Cap. 9. est tamen omnino licita, si prudenter
 adhibeatur. Allegatio tamen meritorum alienorum accommoda-
 tior est, qualis cernitur in propositis exemplis: suppetuntque ubivis
 exempla familia. Et hoc sensu asserimus bona opera ut satisfacto-
 ria, non posse communicari, prout præterita: posse tamen ut im-
 petratoria; nam meritorum sive anteriorum, sive præsentium re-
 presentatio, pollet vi impetrandi, quatenus objectus ille bonorum
 operum interpellat tacitis saltem vocibus DEUM, atque inflectit er-
 ga personam, cui bona alterius opera sunt communicata per spiri-
 tualem adoptionem, aut fraternitatem. Propterea rectè dicitur,
 opera bona quatenus impetratoria (seu quatenus objectivè moven-
 tia DEUM ad benefaciendum Authori illorum operum, & alijs illi
 necessitudine spiritali conjunctis) prodesse, etiam si jam sint præte-
 rita: in quo statu non profunt pro ut satisfactoria, quia sic spectata
 sunt evanida & efficta, cum primum transierunt ac desierunt physicè
 esse. Ita Miranda in Manual. Prælat. Tom. 2. quest. 50. art. 4. Villalo-
 bos Tom. 2. Tractat. 26. difficul. 6. Raynaud. in Heteroccl. spiritual.
 Tom. 2. sect. 5. punct. 3. Caracciolus in Notis ad Constitutiones
 Cleric. Regul. Part. 7. Cap. 1. Navarrus Miscell. II. de Orat. Peyrinis
 Tom. 2. de Prælat. Relig. quest. 3. Cap. 6. num. 5. alijsque complures.

Pp

Ex

præteritæ
 alijs com-
 municari 2

Meritorum
 tam ante-
 riorum,
 quam præ-
 sentium
 representa-
 tio apud
 DEUM
 pollet vi
 impetra-
 toria.

Ex his constat, quid respondendum sit ad rationem dubitandi propositam, &c.

Cur in literis Filiationis mentio fiat de meritis Sanctorum Ord. &c.

PRÆTEREA dicendum est, non applicari in illa formula communicationis literarum Filiationis seu Fraternalitatis merita Sanctorum nostro Præposito Generali, sed allegari eorum merita, ut efficacia reddatur applicatio bonorum operum totius Ordinis, innixa meritis & operibus Sanctorum, sicuti Ecclesia merita & bona opera Sanctorum allegat in Orationibus suis, ut scilicet hoc modo efficacia reddantur. In dicta igitur formula applicantur sola merita, & satisfactiones Religiosorum Ordinis, qui subsunt ipsi Præposito Generali: quâ applicatione Religiosorum intentio modificatur, & quodammodo authoritative particularizatur ad Confratres Ordinis, vel qui literas Filiationis accipiunt, juxta doctrinam sancti Doctoris 4. d. 20. q. 1. a. 4. q. 1. ubi ita docet: *Intentio, inquit, alicujus potest alterum dirigi tripliciter, aut in generali, aut in speciali, aut in singulari. In speciali sicut cum quis orat pro Congregatione sua, & familiaribus & beneficiariis & ad hoc etiam ordinat opera sua satisfactoria, & sic ille, qui Congregationi præest, potest opera illa alijs communicare, applicando intentionem illorum, quæ sunt de Congregatione sua, ad hunc determinatè, &c.*

208.

Utrum possit quis valorem satisfactoriorum suorum operum sibi applicare pro solutione pœnæ, peccati noviter commissi?

QUÆRITUR quarto, An possit quis sibi ipsi communicare bona opera præterita, quæ ad valorem satisfactoriorum, de justitia condigno eis debitum, ita ut profint ei ad extinguendum reatum pœnæ, quam debet, aut debuit pro peccatis commissis, possit bona opera ex debita pœnitentia condonatis quoad culpam? Exempli causa. Quidam gratia DEI præditus, & in illa persistens longo tempore complura peregit opera bona ac meritoria, quorum valorem satisfactorio majori ex parte præfato tempore haud indiguit, potius modum labitur in lethalem culpam, ac deinde sufficienter pœnitentiam adipiscitur remissionem culpæ, sed non totius pœnæ? *queritur, utrum is præfatum valorem satisfactoriorum supradictorum bonorum operum, illo tempore sibi minime necessarium, possit nunc assumere, atque sibi applicare pro solutione pœnæ, pro peccato noviter commissi ac condonato debitæ?*

RESPOND. id nequaquam fieri posse: cum jam illa merita, quæ ad illorum valorem satisfactoriorum, sint reposita in Ecclesie Thesaurario, cujus dispensatio non ad illum, sed ad Romanum pertinet Pontificem.

ficem. Sicuti ille, qui multa bona donatione completa jam Ecclesie donarat, non potest quicquam ex illis, etsi ijs postmodum egeat, propria autoritate sumere aut recipere, juxta Cap. Noverint. 10. q. 1. & C. Sunt qui opes 17. q. 4. Ita Navarr. Miscell. 11. de Psalt. & Rosario B. V. num. 8.

Hæc sententia non minus solidè quam efficaciter confirmari quoque videtur subjecto discursu. Constat inter Theologos, esse in Ecclesia Thesaurum communem satisfactionum Christi, atque earum, quæ viris sanctis superaverunt; cujus clavem Christus Dominus suis commisit Vicarijs, ac per indulgentias dispensari voluit. At nulli mortalium suppetere privatum satisfactionum antecedentium thesaurum: nec posse quenquam asservare; & sub dominio suo privato retinere ullum hujusmodi peculium, quod vel pro se erogat in tempore futuræ necessitatis, vel in aliorum commodum educat, cum libuerit, constanter doceat ijdem Theologi; ita ut ne Religiosis quidem Cœtibus suum aliquem Thesaurum satisfactionum concedant: affirmantque Communicationem meritorum alicujus Ordinis à Præsidibus ejus factam cupiam, alio pertinere, quam ad erogationem satisfactionum aliquarum antecedentium, quas Ordo apud se reconditas habeat, & in gratiam ejus, cui suffragatum cupit, educat. Hoc enim esse planè falsum, eo quod nullus sit usquam Thesaurus communis aut privatus satisfactionum, præter unum illum, qui universæ Ecclesie est communis, confirmant optimè præfatus Navarrus loc. citat. num. 5. & 7. Corduba lib. de indulg. quest. 42. dicto 8. punct. 3. Villalob. Tract. 28. difficult. 6. num. 4. Suarez. Tom. 4. in 3. P. disp. 55. sect. 5. num. 3. & seqq. atque alij apud Caracciolum in Notis ad Constitut. Theatinorum, Part. 2. Cap. 1. in fine. sunt igitur ista apud Doctores explorata. Atqui si possemus fructum satisfactorium anteriorum honorum operum, quæ aliquando patravimus, transfundere postea in nos aut alios, esset penes nos Thesaurus privatus, cujus clavem ipsi haberemus, distinctam à communi clave Pontificibus commissa. Nihil quippe fert aliud vox *Thesauri privati*, quam peculium, è proprijs illis satisfactionibus antecedentibus nobis residuis, quæ nullum in nobis, alijsve, per cessionem nostram, effectum habuerunt; cum sunt elicite. Nec vox *clavis* aliud sonat, quam potestatem disponendi pro arbitrio de satisfactionibus ad eum modum asservatis.

Præter communem Ecclesie Thesaurum satisfactionum Christi, & SS. non extrahitur alius privatus antecedentium satisfactionum, &c. & hujus rei quæ sit ratio, demonstratur.

209.

Utrum S.
M. Teresa
suas præteritas ali-
quando satis-
factiones alicui
defuncto communi-
carit?

Quam sit
periculo-
sum, judi-
cio S. M.
Teresæ,
regimen
animarum.

DICES seraphicam Matrem S. TERESIAM suas omnes anteriores satisfactiones cuiusdam defuncto communicasse, uti ex R. P. Gregorio Nazianzeno à S. Basilio *lib. de Adopt. parthenia, Part. 2. Cap. 43.* refert Raynaudus *Tom. 1. Heteroclit. spiritual. sect. 2. punct. 2.* Ergo id pie & valide fieri poterit.

RESPOND. Si hoc factum sit, ut à nonnullis refertur, intelligendum id esse ad eum, quo *supra nu. 207.* exposuimus modum. Atrogatur sapientissimam hanc Virginem præteritas suas satisfactiones illum defunctum transfuisse, quod clarius constabit, si ipsa ejus verba, quibus factum hoc suum recenset, hic producamus. *Dictum fuit, inquit, Cap. 38. vitæ suæ, ex hoc vita decessisse, quendam qui olim Provinciam nostram egerat, sed cum obiit, alteri Provincie præerat. Hoc cum olim egerat, eique ob quedam exhibita mihi beneficia, aliquot nominibus vincula eram: vitæ vero eius ratio honesta imprimis ac proba erat. Vi ergo demortuum audiui mirum in modum turbata sum, quia de saluatione ejus dubitabam: viginti quippe annis Superiorem egerat: quam ego rem certè valde scilicet. Nam mihi perquam periculosum videtur animarum regimen habere. Quod magno cum pavore me intra quoddam Oratorium abdidi, omniaque bona opera que toto vitæ tempore unquam egeram (quæ sane parva admodum fuerunt) solum transfuli. Unde Dominum rogabam, ut per sua merita adimplere deberetur, quod anime illi, ut purgatorijs flammis possit egredi, deesset. Atque Dominum quam poteram enixissime rogante, videbatur is de profunda parte dexterum latus meum prodire, & mox illum magna cum letitia & cadentibus visceribus ferri conspexi, &c.* Nullam prorsus, in hac S. M. TERESIA relatione, satisfactionum mentionem fieri video: affirmat quidem lectionia sua, quæ unquam patrarat bona opera, in jam dictum defunctum transfuisse, at cum opera bona, præter meritum proprie dictam justitiæ, quod est incommunicabile, contineant quoque vim impetratoriam, atque impetratoriam, uti supra diximus, censendum est S. M. TERESIAM opera sua pro illo Patre defuncto obtulisse, non quatenus satisfactoria; cum sic considerata, modo in superioribus proposito, effecta essent atque inania, sed pro ut impetratoria seu impetratoria de congruo; quod etiam apertius subindicare videntur verba quæ mox subjecit, inquit: *unde Dominum rogabam, ut per sua merita adimplere dignaretur, quod anime illi, ut purgatorijs flammis possit egredi, deesset.* Quò manifeste ostendit, se bona opera sua solum quatenus

petratoria obtulisse, dum has enixissimas preces adjunxit cum meritis Christi, quod alias non fuisset necessarium: nec supra citatus Gregorius Nazianzenus contrarium asserit, licet ipsum pro opposita sententia adducat P. Raynaudus. Proficuum autem esse DEO offerre pro quibusdam defunctis, aut etiam morientibus sua omnia merita præterita, docet Corduba de indulg. q. 39. his verbis: per viam meriti, seu impetrationis valet communicatio bonorum suorum præteritorum, & concessio eorum, quam aliqui pie faciunt aliquibus existentibus in articulo mortis, seu etiam jam defunctis.

QUÆRITUR quid, Utrum is, qui reatu proprio gravatur, possit in alios satisfactiones suas transferre?

RESPOND. Si non agatur de omnium planè, etiam futurarum omnium satisfactionum translatione, licita & valida, ac utique fructuosa erit translatio; etiamsi persona transferens egeat illis in presenti, ita ut, si moreretur esset trudenda in purgatorium, idque ipsi non sit incompertum. Hoc est contra Navarrum miscell. XI. de orat. quest. 10. ubi censet, eum, qui indiget suis satisfactionibus, eo quod sit in ære DEI propter peccata, non posse validè transferre suas satisfactiones in alterum; sed id tantum posse fieri de illis satisfactionibus, quibus quis non egeat pro seipso; sed nisi ab homine applicarentur, reponerentur in Thesauro Ecclesiæ, inde educendæ per indulgentias. Constat enim plurimorum Sanctorum satisfactiones, quæ illis ob summam innocentiam superfluerunt, nec ab ijs ad alios sunt translatae, ibi asservari, ut docuit CLEMENS VI. & malè omnino inficiatus est Mayronis, alijq; nonnulli. Si ergò aliquis ejusmodi spiritualibus bonis supra necessitatem suam abundet, benè ac validè juxta Navarrum, ea poterit foras derivare: non item si illi futura sit tribulatio, per hanc remissionem alijs factam, quod improbavit Apostolus; videtur enim damnanda ea prodigalitas priorum bonorum, & ita perversio ordinis Charitatis, qua quis malè sibi esse velit, ut alijs sit benè.

Verum aliter distinguendum videtur. Si enim agatur de translatione satisfactionum in tempore summæ necessitatis propriæ, quale est, cum quis multo reatu temporaneo gravatus, videt sibi imminere mortem: nec dubitat quin se spoliando suis satisfactionibus, trudendus sit in purgatorium; tunc ea translatio videtur illicita, quia est

P p 3

con-

210.

Quibus in casibus valeat quis proprias satisfactiones in aliū transferre, licet in presenti ipse transferens illis egeat?

Maximo
cum fructu
& lucro id
sæpius fieri
poterit.

Qui pro
alijs orat,
pro semet-
ipso labo-
rat.

contra charitatem sibi debitam, atq; ideo expers erit meriti. Ita cen-
set, qui hoc fufius probat Raynaudus *Tom. 1. Heteroclit. spirit. part. 2.
sect. 1. punct. 11.* Non videtur tamen translationem fore invalidam,
si actus satisfactorius concomitetur tantum actum translationis, ut
ut ab ea non vitietur. Si autem non timeatur illud periculum, ut
homo speret suppetiturum postea tempus, quo sibi consulere, & fru-
reatu, per alia opera satisfactoria, vel per indulgentias liberari pos-
sit, sicq; non esset contra rectum Charitatis ordinem, cedere huius
fructui sui operis in favorem alterius, imò meritum quod à transla-
tione pararetur, compensaret in nobiliori genere dispendium illud
boni despiciatoris. Nam perderetur remissio reatus temporarij sine
tantum duraturi, & acquireretur gratia sanctificans & gloria duratura
in æternum. Optimè hoc confirmant illa Luca Tudenfis *lib. 2. contra
Albigens. Cap. 17.* verba: *Qui pro alijs orat, pro semetipso laborat; & Char-
ritate quâ extenditur, ut oret pro alio, semetipsum DEO commendat, &
sanctissima opera Charitatis, que ad illos integrè perveniunt, pro quibus sunt;
& integra atq; illibata sine diminutione aliqua permanent operanti.* Vnde
Propheta, *Oratio mea in sinu meo convertetur. Et quia non cessat mori,
qui non cessat bene agere, atq; omne opus bonum Oratio esse dicitur, ut est illud.
Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro vobis
Dominum. Quicumq; boni operis exercitium pro alio gesserit, ad illum pro
dubio secundum vocem Dominicam revertetur pax ejus.*

CAPUT VI.

*Resolvuntur alia quadam circa eandem materiam
dubia.*

2 II.

Communi-
cacio bo-
norum o-
perum qua-
tenus me-
ritoria, sive
impetrato-
ria pluri-
mum pro-



UÆRITUR sexto, Ad quid valeat Confratribus nostris
participatio illa bonorum operum, quatenus meritoria
de congruo, seu impetratoria, aut quid inde consequatur?

RESPOND. Valere hanc participationem ad multa, ut dicitur
mus supra *Capite secundo*, & aperte constat ex Sacris scripturis: DEUS
quippe propter Jacob benedixit domui Laban; propter decem
stos paratus erat parcere quinque civitatibus; propter David pepo-

cit Salomoni; propter fidem portantium sanavit paralyticum; propter ELISEUM dedit prolem Sunamitidi: & propter ELIAM pluviam terræ; propter Joseph Patriarcham ab Ægypto famem avertit, & ita de alijs quàm plurimis. Multa igitur bona spiritualia & temporalia confert DEUS, propter merita iustorum; & multa similiter mala spiritualia & temporalia avertit. Potissimum verò valent merita huiusmodi iustorum hominum ad salutem, & vitam æternam, quod his verbis egregie docet S. Doctor: Dico, quod predestinationis effectus est salus humana, que à DEO procedit, sicut à prima Causa, sed ejus possunt esse plures causæ proxima, quasi instrumentales, que sunt ordinatæ à divina Predestinatione ad salutem humanam. sicut instrumenta applicantur ab artifice ad effectum artis explendum unde sicut Predestinationis divina est effectus, quod iste salvetur, ita & quod per Orationes tales & merita talia salvetur: & hoc etiam Gregorius dicit in 1. lib. Dialog. quod ea que sancti viri orando efficiunt, ita predestinata sunt, ut precibus obtineantur.

Obijciat hic forsitan quispiam, videri modicum posse Confratribus prodelle hanc meritorum seu bonorum operum Communicationem quod ad vim merendi, cum non habeat rationem meriti de condigno & ex iustitia, sed solum de congruo & amicitia, quod non est rigorosum meritum.

Respondetur hoc minimè ob stare; quia non rarò majora impetrantur per viam amicitia, liberalitatis & congruitatis, quàm iustitia: qui enim fodit in vinea Regis (utitur hoc exemplo Navarr. loc. cit. nu. 3.) via iustitia certum quid meretur, qua via preces Regina non possunt mereri aliud tantundem; via tamen decentis liberalitatis & magnificentia potest ei plus mereri Regina uno verbo, quàm ille centum dierum opere; ita licet via Iustitia quisq; plus sibi possit per se mereri quàm per alios, via tamen decentia & amicitia sepe numero plus per alios quàm per se meretur. Sic porro (verba sunt Raynaud. loco supra citato.) benefacit DEVS alijs intuitu iustorum, ut ex decentia conferat alijs, quæcumq; ipsi iusti possent mereri sibi ipsis. Insuperq; etiam primam gratiam actualem, quàm nemo sibi mereri potest, ac ne de congruo quidem. At respectu alterius, iustus potest eam de congruo mereri; quia actio meritoria non erit planè naturalis, qualem oporteret eam esse, si homo primum illud auxilium sibi ipsi promeretur. Hinc intelligitur, quanti sit uniri multis iustis per necessitudinem aliquam saltem societatis imitæ voluntariæ, sicut fit per Literas Fraternalitatis &c. Hæc ille.

dest parti-
cipanti,
quod mul-
tis S. scri-
pturæ exē-
ptis edo-
cemur.

Q. 6. de
predestin.
art. 6.

Nonnun-
quam plu-
ra & majo-
ra per viam
liberalita-
tis & de-
centis con-
gruitatis,
amicitiæq;
obtinentur
quàm per
viam iusti-
tiæ.

Quæ-

212.

In Addit.
ad 3. p. q.
13. art. 2.

QUÆRES septimò, Ad quid conducatur illa eadem participatio quo ad vim satisfactoriam? Huic quæsitio jam supra satisfecimus, his tamen addere lubet quedam verba S. Thomæ dictis nostris mirè convenientia: Pœna, inquit, satisfactoria est ad duo ordinata: scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. In quantum ergo est ad medicinam sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri: quia ex seipso unius, caro alterius non domatur, nec ex actibus unius, alius bene agere conseruit, nisi secundum accidens, in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad vitanda peccata: sed hoc est per modum meriti magis, quàm per modum satisfactoriæ. Sed quantum ad solutionem debiti, unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in Charitate & opera ejus satisfactoria esse possint.

213.

Utrum nõ modo iustis, verum etiam peccatoribus hæc proficit meritorum participatio?

In addit.
ad 3. p. q.
27. art. 1.

QUÆRITUR octavò, An participant in dictis bonis operibus tam iij, qui sunt in gratia constituti, quàm qui in peccato?

RESP. Eos qui sunt in statu gratiæ participare in his operibus tam quo ad vim satisfactoriam, quàm quo ad vim meritoriam, iuxta ea quæ hæcenus diximus. Si verò loquamur de ijs, qui lethali sunt peccato obnoxij, imprimis non participant in eiusmodi bonis operibus, quoad vim satisfactoriam. Ratio hujus est, quia nullus liberari potest à pœna, nisi sit absolutus à culpa: effectus enim non minuuntur, neq; tolluntur, nisi diminutâ vel ablatâ causâ: quoad vim autem meritoriam etiam iij, qui sunt in peccato mortali, & quibus communicantur dicta bona opera, participant in illis, ut docet S. Doctor in hunc modum: Si fieret, inquit, communicatio per hunc modum. Facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, vel unius Congregationis, vel unius specialis personæ; sic possent valere ad merendum aliquibus, qui est in peccato mortali, &c.

214.

In quo excedant indulgentiæ bonorum operum communicationem?

QUÆRES nono, An indulgentiæ amplius proficiunt Confratribus an participatio bonorum spiritualium Ordinis?

RESPOND. Indulgentias eatenus esse majoris valoris, quàm nunc in nostra ac probabiliore sententia, certò & infallibiliter proficiunt vivis atq; defunctis, & satisfactiones per eas applicatæ hauriuntur ex Thesaurò Ecclesiæ infinito & indefectibili. Deinde indulgentiæ communiter sunt abundantiores, perq; eas plus de pœna remittitur. Per communicationem verò bonorum spiritualium Ordinis non dimittitur tantùm de reatu seu pœna, verum participantibus communicatur

tur solum pars aliqua satisfactionum communium, que omnibus de corpore Religionis applicantur: & pars etiam aliqua ex satisfactionibus superabundantibus particularium, juxta dicta in superioribus, sed quid inde proveniat cuilibet, incertum nobis est, cum satisfactiones hominum finitæ sint ac defectibiles.

Unum est tamen in quo communicatio meritorum Ordinis videtur quodammodo indulgentias superare; videlicet, quod indulgentia solum conducant ad poenæ temporalis remissionem: communicatio autem bonorum operum Ordinis, non modo prodest ad reatus temporarij remissionem, verum etiam ad diversa bona, tum spiritualia, tum temporalia adipiscenda: per eam quippè gratiæ prævenientes plurimæ alijs donantur, quibus gratiam sanctificantem amissam facilius recuperare, habitam conservare & augere, tentationibus fortius resistere &c. valeant, prout ex supra dictis sufficienter constat & patet.

QUÆRITUR decimò, An sit aliqua diversitas in hujusmodi participatione bonorum operum Ordinis nostri; ita ut aliqui magis participent, quàm alijs? Et ratio dubitandi posset esse, quia in quibusdam alijs Ordinibus, veluti in Ordine FF. Minorum, non æqualiter participant omnes de bonis operibus, & meritis Religiosorum ejusdem Ordinis, &c.

RESPONDEO distinguendo: vel enim loquimur de ijs, qui communicant in bonis spiritualibus Ordinis nostri, ratione Confraternitatis sacri SCAPULARIS quod gestant; vel de ijs, qui extra dictam Confraternitatem per Literas Filiationis solum admittuntur ad hanc Communicationem, & improprie Confratres dicuntur.

PRIORES videtur æqualiter omnes participare, & nulla esse omnino inter eos diversitas: licet P. Irenæus mox adducendus oppositum sentiat. Hoc suaderi hoc argumento videtur. Ad hanc meritorum participationem pro parthenijs Sodalibus nihil aliud requiritur, quàm legitima susceptio, & gestatio Mariani Scapularis; ut infra Part. 7. Cap. 4. dicemus: at utrūq; hoc, ut supponimus, æqualiter in omnibus reperitur, Ergò &c.

Confirmatur: ad gaudendum hac bonorum operum communicatione solum exigitur, & sufficit esse quempiam Mariani Scapularis atq; Ordinis Confratrem, sed hanc rationem & conditionem

Qq

omnes

Et hæc indulgentias?

Fructus communionis meritorum, &c.

215.

Utrum diversitas aliqua inter participantes prædicta bona Religionis opera reperiat?

Inter communicantes ratione Confraternitatis nullam adesse diversitatem probatur.

omnes Sodales æqualiter participant, ergò etiam æqualiter gaudebunt hac communicatione &c.

POSTERIORES verò, qui ratione Literarum Filiationis dictorum Ordinis spiritualium bonorum participes redduntur, regulariter & ut plurimum inæqualiter communicant de dictis bonis ita præter alios censet Bordonus Tom. 3. oper. mor. resolut. 84. num. 16. & Inæxus loco statim referendo: sicq; etiam sentire videntur omnes illi Doctores, quos Cap. 4. num. 202. adduximus. Cum enim hæc Literæ ordinariè conferri soleant à Religionis Prælati, ex reciproco, & præstita Ordini beneficia, gratitudinis affectu, & in his præstantibus non modica communiter soleat intercedere diversitas, similis quoque diversitas ordinariè intercedet, inter ipsos possidentes has Literas & in ipsa participatione: ita ut pro rata solum participant, seu secundum numerum, modumq; beneficiorum. Ratio quippe motus & causa finalis hujus communicationis sunt exhibita beneficia, ergo quo plura & majora illa fuerint, tantò amplius quis percipiet de præfatis bonis ac meritis. His adde, quod juxta Angelicum Doctorem teneamur magis benefacere his, cum quibus majorem habemus conjunctionem atq; obligationem &c.

Notat Peyrinis, quod cum hujusmodi Fraternalitatis Literæ cedantur à Prælati Ordinis Benefactoribus: si, inquit, in alio cesset ista causa finalis, quia scilicet non sit benefactor, certe iste non fruatur dictis bonis; cessante enim causa, debet cessare effectus. Et similiter cessat fruendi dictis bonis illi, qui cum benefactor esset tempore acceptæ participationis, cessat à benefaciendo. Distinguit autem quadruplex Benefactorum genus. Et advertit, inquit, quod benefactores sint in quadruplici differentia. Alij enim benefaciunt opibus & elemosynis suis Religiosorum paupertatem allevando. Alij òs benefaciunt, ab injurijs defendendo, à calumnijs liberando, & eis bene semper loquendo, reverentiam illis exhibendo. Alij jurâ eorum sustentant, & sustentant in judicio, ut Doctores, Procuratores, Solicitatores, Advocati. Alij illis benefaciunt, officium exercendo Medici, Chyrurgi, Notarij, &c. ipsi quoque non possunt ad participationem admitti. Quod si postquam sunt admissi, cessat saltem ab una ex prædictis beneficentijs impendendis, etiam cessat in illis participationum effectus. Quare qui opibus paupertatem Religiosorum sublevabat, ad paupertatem reductus, si bene saltem de illis loquatur, non desinit participare de dictis bonis. Hæc Peyrinis Tom. 2. de Prælat. Relig. quest. 3. Cap. 6. n. 11.

Inter communicantes vero ob litteras Fraternalitatis solet non modica ordinariè intercedere diversitas.

Nota quadruplex Benefactorum genus, qui omnes, juxta Peyrini sententiã, ad participationem sæpius dicitur admitti queunt.

Nec prædictis obstat PII V. Constitutio incipiens, *Etsi Dominici gregis, &c.* anno 1567. promulgata, quia, ut *infra* fusiùs dicemus, per illam duntaxat indulgentiæ revocantur, pro quarum adeptione porrigendæ erant manus adjunctrices, nequaquam vero sæpius dicta meritorum seu bonorum operum participatio.

QUÆRITUR undecimo, Utrum si in traditione SCAPULARIS prædicta verba, per quæ Confratres ad Ordinis beneficia recipiuntur, omitterentur, nihilominus essent eorum participes? 216.

RESPOND. Confratres per receptionem sacri SCAPULARIS admitti ad Ordinis beneficia, seu bona spiritualia, licet præfata verba, *Ego auctoritate, &c.* intermitterentur, quo ad partem à summo Pontifice concessam: quemadmodum universalis Ecclesiæ militantis suffragiorum partem obtinent singularem vi susceptæ Confraternitatis, etsi ea de re in receptione eorundem nulla fiat mentio. Ratio hujus est, quod GREGORIUS XIII. in Constit. *Ut laudes.* sic fuerit interpretatus Bullam CLEMENTIS VII. ut præfati Confratres facti sint participes bonorum spiritualium Ordinis, imò & universalis Ecclesiæ militantis. Quapropter si id Confratribus declaretur in receptione, siue non, par erit ratio quo ad partem ejusmodi à summo Pontifice concessam, dico à summo Pontifice concessam, &c. Nam alia est ratio de parte concessa à Superioribus Ordinis. Enimvero summus Pontifex ita est Dominus bonorum Ordinis spiritualium, uti & quorumlibet aliorum Ecclesiasticorum, ut proprium *infra* ipsum habeant *dominium* Superiores: vi cujus possunt dispensare spirituales thesaurum: imo inter ipsos Superiores majores & minores eadem servari debet proportio dominij, & dispensationis, juxta gradum suæ jurisdictionis. Præfata igitur verba: *Ego auctoritate, &c.* non debent intelligi de parte per summos Pontifices, sed per Prælatos Ordinis Confratribus assignata, ultra concessam à summis Pontificibus. Ex quo fit, quod si omittantur ista verba, carebunt Confratres tali participatione ab Ordine concedenda, at gaudebunt nihilominus parte bonorum Ordinis, uti & Ecclesiæ à summis Pontificibus concessa.

Dixi etiam supra GREGORIUM XIII. fuisse interpretatum Bullam CLEMENTIS VII. nam ea patitur aliquam difficultatem, quoad præfens negotium, tum quod participationis beneficiorum Ordinis

Qq 2

cla-

clarè non meminerit, tum quod universalis Ecclesiæ suffragia non tam Confratribus quàm facientibus elemosynas &c. videatur imperitari. Quæ omnia in Constitutione GREGORII XIII. tanquam exponentis Bullam CLEMENTIS sunt evidentiâ.

217.

PRO confirmatione eorum, quæ hic, ac in præcedentibus Capitibus dicta sunt, lubet hic adjungere id quod advertendum monet R. P. Irenæus à S. Jacobo in suo pluribus cit. *Tract. de singul. Reg. protecl. sect. 3. cap. 4. §. 3.* his verbis: [Notandum verò vi illius receptionis ad Ordinis beneficia factæ in tradendo SCAPULARI, participari quidem aliquid bonorum spiritualium Ordinis, quod sibi non compararent Fideles absq; istiusmodi receptione. Verum si præterea suis ergà Ordinem beneficijs *Literas Affiliationis* obtinuerint, majorem pariter bonorum Ordinis spiritualium partem acquirent, quàm per alterutrum seorsim acceptam. Quemadmodum iterum inter Benefactores Ordinis, qui pluribus aut majoribus beneficijs meretur de Ordine, plura sibi comparat Ordinis suffragia, cæteris paribus. Item ex ijs, qui Scapulare acceperint, ideoq; Ordinis beneficia participant, plus sibi assumit de iisdem suffragijs, quàm magno zelo & affectu Confraternitatis ejusmodi beneficium colit & amant. Hinc colliges discrimen inter receptionem ad Ordinis beneficia per SCAPULARE, & per *Literas Affiliationis*. Per SCAPULARE ad ea mittuntur, eo quod fiant *Confratres*, id est, quasi Fratres nostri Ordinis: in quos æquum est propterea dividi nostram bonorum spiritualium hæreditatem. Per *Literas Affiliationis* vicem rependimus, ac in gratitudinem bonorum temporalium quæ accepimus, refundimus spiritualia, quod in universa Ecclesia ab initio fuit receptum & usitatum. Porro præter communes Ordinis preces, institui solent singularia pro Confratribus & *Literas Affiliationis* habentibus suffragia, tum vivis, tum mortuis, tam in communi Choro, quàm ab unoquoq; sigillatim, & ex Chorum existenti, ut videre est in Constitutionibus nostræ observantia. Item commendari solent in nostris Capitulis Provincialibus, ut à tota sic collecta Provincia eadem vota recipiant atq; suffragia. Hæcenus ille.

Discrimen
inter re-
ceptos ad
Ordinis be-
neficia per
Scapulare,
& per Lit-
teras Filiationis,

CAPUT VII.

Qua auctoritate hæc Communicatio in Ordine fiat?

P R I M I S sciendum, quod hæc Communicatio in Ordine fiat auctoritate Superiorum Ordinis: de jure enim communi quilibet Prælati cujuscunq; Congregationis, potest bona spiritualia suorum subditorum, eo modo quo supra explicuimus, Benefactoribus Religionis communicare & applicare. Eò enim ipso, quo habet curam Congregationis, habet auctoritatem dispositivam communium bonorù ipsius Congregationis.

C. Quando de translat. & C. 24. q. 1. C. Quocunq. Idè docet S. Thomas his verbis: *Intentio alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter; aut in generali, aut in speciali, aut in singulari. In singulari quidem, sicut cum quis pro alio satisfacit determinatè: & sic quilibet potest alteri sua bona opera communicare: in speciali autem, sicut cum quis orat pro Congregatione sua, & familiaribus, & benefactoribus, & ad hoc ordinat etiam sua opera satisfactoria. Et sic ille, qui Congregationi præest, potest opera illa alij communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de Congregatione sua ad hunc determinatè. Sed in generali, sicut cum quis ordinat opera sua ad bonum Ecclesie in generali: & sic ille, qui præest Ecclesie, generaliter potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc vel illum. Et quia homo est pars Congregationis, & Congregatio est pars Ecclesie, idè in intentione privati boni includitur intentio boni Congregationis, & boni totius Ecclesie; & idè ille, qui Ecclesie præest, potest communicare ea, que sunt Congregationis, & huius homini: & ille qui præest Congregationi potest communicare ea, que sunt huius hominis: sed non convertitur. Et idem tradunt Palud. Richard. & alij in 4. loc. citat. Navarrus in miscell. loc. supra citat. Miranda Tom. 2. Manual. q. 50. a. 1. Rodriq. Tom. 1. qq. Reg. q. 33. art. 2. Peyrin. loc. cit. num. 8. & 9. alijq; complures ab ipso ibidem laudati.*

P R Æ T E R E A non tantum ex jure communi hoc habent Superiores Ordinis, verum etiam ex Privilegijs Apostolicis. Inprimis, ut supra insinuavimus, **URBANUS V.** qui sedit anno 1362. fecit hanc concessionem, ut refertur in *Compend. Privileg. & indulgent.* Idem concessit **SIXTUS IV.** anno 1477. in Bulla quæ incipit: *Dum*

Q 9 3

attenta

218.

Hæc merito, communicatio fit auctoritate propria superiorum Ordinis,

In 4. d. 20. q. 1. in G. Add. ad 3. p. quest. 26. art. 1.

Quot modis intentio alicujus ad alterum dirigi possit?

219.

Fit etiam hæc communicatio ex privilegijs Pontificijs.

attenta meditatione pensamus &c. ac CLEMENS VII. anno 1530. in Bulla, *Ex clementi Sedis Apostolicæ provisione.* Deniq; GREGORIUS XIII. in Bulla, *Vt laudes.* anno 1577. ubi ita habet: Deniq; CLEMENS VII. post IOANNEM XXII. & ALEXANDRYM V. eorum Literas approbando, habitum gloriosissimæ, & beatissimæ Virginis MARIÆ Matr. DEI gestantibus, seu Confraternitatem ingredientibus, & alia servantibus, ut in ipsdem Literis continetur; indulgentijs, peccatorum remissionibus, & gratijs singulis utriusq; sexus concessis, perpetuæ firmitatis robur addidit, & innovavit, ipsiq; & alij participationem bonorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum, & uniuersalæ Ecclesiæ indulsit & concessit. Ubi advertendum est, eos, qui habitum live SCAPULARE B. V. MARIÆ de monte Carmelo gestant, ut alios, quibus Literæ Fraternitatis dantur, admitti ad participationem meritorum non tantum totius Ordinis nostri: verum etiam uniuersalis Ecclesiæ; ita ut eo ipso, quo Confratres nostri sunt, ratione habitus, quem gestant, efficiuntur participes speciali modo fundato in speciali Pontificum concessione, bonorum omnium spiritualium, quæ fiunt, non modo à Carmelitarum, omnibusq; alijs Religiosorum Ordinibus, tam Mendicantibus quàm non Mendicantibus, verum etiam quibuscunq; Sodalitatibus, Confraternitatibus, imò & uniuersa Ecclesia militante. Quod beneficium quanti facies dum sit, vel ex eo patet, & colligere licet: quod si multum ac magnum sit, vel unius duntaxat viri sancti meritis, orationibus ac bonis operibus communicare, erit haud dubiè longè maximum, tot Sanctorum, quot Carmelitana, & aliæ habent Religiones: imò tot, quot uniuersa habet Ecclesia, bonis ac meritis, eo speciali modo frui ut gaudere. Quod verò magnum, imò etiam longè maximum sit, minus solummodò viri iusti aut sancti merita & orationes participare, conijcere est ex subjectis SS. Patrum verbis ac sententijs. S. Ambrosius Lib. 2. de Abraham cap. 6. inquit: *Admiranda est DEI Clementia, propter paucorum iustitiam, impunitatem toti populo promittentis. Unde discimus quantus inurus sit parvæ vir iustus, &c.* S. Chrysostomus hom. 42. *Sape let Dominus propter paucos multis dare salutem; & quid dico propter paucos sape quando non inventus est in hac vita iustus propter defunctorum virtutem, ventum miseretur, & curam habet; unde clamat dicens: Protegam creaturam hanc propter me, & David puerum meum.* S. Hieronymus in illa verba Jeremiæ: *Circuite vias Ierusalem, & aspiciate & considerate, & quæ*

Confratres
Ord. nostri
& Liter. Filiat. habentes admittuntur non solum ad communionem bonorum spiritualium Ord. verum & totius Ecclesiæ, idq; speciali modo.

In quo hic fundetur, & quanti faciendus?

Quantum possint unius vel paucorum iustorum merita apud Deum?

Cap. 5.

in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & querentem fidem, & propitius ero ei: hæc habet: si unum invenerit jam jam peritura Ierusalem, qui faciat judicium, & querat fidem, DEVS miserebitur Ierusalem. Consonat locus ille Ezechielis 22. c. quasi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni. D. Thomas docet Romam servatam fuisse per merita S. Alexij: Vox, inquit, cœlitus delapsa, audientibus Papa, & Imperatoribus Honorio & Arcadio, & universo populo Romano, in Ecclesia B. Petri existentibus, testata est B. Alexij meritis Romam stare. Non dissimilia habet Philo lib. de Sacrif. Abelis & Cain. Quando, ait, aliquem bonum virum habitantem in domo quapiam, aut urbe video, & domum & urbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuam, tum absentem expectandam cumulatiorem, DEO ultra modum, mensuramque divitias suas in gratiam dignorum, etiam in indignos effundere solito. ac paulo post: Ergo ut viri fortes pro maximo sunt civitatibus munimento: sic in humana societate & communiōe hominum, justis & sapientes viri, firmissimum propugnaculum & presidium existimari debent. Legimus in vita S. Francisci de Paula, Cap. 3. Demones sæpius per energumenos confessos fuisse, se à DEO, ob peccata populi potentiam accepisse Italiam, maximèque regnum Neapolitanum, bellis alijsve calamitatibus atterendi & devastandi, solaque S. Francisci de Paula præsentia præpediri, quo minus id præstent, & executioni mandent: quod post ejus egressum, & in Galliam discessum se facturas pollicebantur, uti & fecerunt: ut testantur illius temporis Historia.

Quantum etiam apud DEUM valeant, vel unius duntaxat Religionis aut Congregationis orationes ac merita indicant illa F. Iderici Cæsaris verba, desumpta ex Epistola ejus ad Prælatos Cisterciens. congregatos: Est fides nostra non utique parva, quod hic mundus, qui & immundus est, & in maligno positus, orationibus vestris sustentatur, & à facie furoris illius tremendi judicis, cujus iram peccatis nostris accendimus, defenditur, avertendo suam, quem meremur, indignationem. Si igitur unius, vel paucorum Sanctorum merita & orationes tanti fiant apud DEUM, ut ab integris provincijs, regnis, & toto mundo, divinam ultionem avertere possint; multo majoris efficaciam erunt ad avertenda quæcunque mala, atque impetranda quæcunque bona, spiritualia æque ac temporalia ijs, qui speciali vinculo illis conjuncti sunt, atque eo speciali, quo

Opusc. 19.
Cap. 7.
Meritis S. Alexij Roma servatur.

Sola S. Francisci de Paula præsentia gravissima mala calamitatesque evasit Italia.

Ex Præf. leg. Ord. Cist. pag. 240.
Quantum præstent mundo vel unius Religionis merita?

quo diximus, modo, de illis participant. Libuit hæc paulo folius
producere, ad insinuandam Privilegij, de quo agimus, eximiam em-
nentiam atque utilitatem.

CAPUT VIII.

*Christi Fideles manus adjutrices domibus & Fratibus
Ordinis Carmelitarum porrigentes, participes redduntur
omnium bonorum spiritualium totius Ecclesie
militantis.*

220.

Qua ratio-
ne Fideles
omnes
participes
reddantur
omnium
bonorum
spiritualium
totius Ec-
clesie ?



MAximo illo Privilegio, eximioq; beneficio atq; Do-
ctoribus summè commendato, quod Capite precedentibus
vissimè attigimus, non modo perfruuntur Confratres
nostri, verum etiam Christi Fideles, manus adjutrices
domibus, & Fratibus Ordinis Carmelitarum porrigentes: hi quoque
omnes, ex concessione CLEMENTIS VII. eo speciali, quo mox
proxime modo, participes efficiuntur omnium bonorum spiritualium
sacro sanctæ universalisq; Ecclesie. Verba CLEMENTIS, quibus
estimabilem hanc gratiam impertitur, in Apostolico Diplomate
incipiente: *Ex clementi Sedis Apostolica*, sunt hæc: *in super etiam con-*
tribus & singulis Christi Fidelibus utriusq; sexus, qui dictum Ordinem (Carme-
litarum) illiusq; domos & monasteria, Fratres, Sorores, & Monachos
di, suis eleemosynis, & subsidijs juverint, & manutenuerint, ut ipsi, & quilibet
eorum, omnium precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, orationum,
missarum, horarum canonicarum, peregrinationum, & ceterorum bono-
rum spiritualium: qua pro tempore in universali sacrosancta Ecclesia sunt, in
perpetuum participes fiant, & omnes ejus meritis gaudeant.

Demon-
stratur non
obstare hu-
ic Privile-
gio Con-
stitution.
Pij V. &c.

Nec ista gratia censenda est revocata, ex eo, quod PIUS V. in
sua Constitutione aliàs citata, *Esti Domini gregis &c.* indulgentiarum
manus adjutrices requirentes reprobaverit: non enim omnes gratias
pro quibus assequendis exhibendæ sunt eleemosynæ PIUS V. in dicta
Constitutione revocavit, sed indulgentias tantum, ut evidenter con-
stat, tum ex ejus argumento in Bullario Laërtij Cherubini tenentis
sequentis: *Revocatio indulgentiarum quomodolibet concessarum, continentium*
facultatem questuandi, & pro quibus consequendis porrigenda sunt manus ad-
mitti.

trices; tum ex verbis revocatorijs ipsius Constitutionis, quæ talia sunt. Nos &c. motu proprio, non ad alicujus nobis pro hac oblata petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate, & deliberatione, omnes & singulas indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, fabrica & Ecclesie hujusmodi &c. per quoscunq; Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac ex quibusvis etiam urgentissimis causis, etiam causa redemptionis captivorum, & alias quomodolibet concessas, pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adjutrices, & questuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes & decreta presentibus pro expressis habentes, autoritate Apostolica, tenore presentium perpetuò revocamus, cassamus, irritamus & annullamus, &c.

Certum est autem, quod recipere Fideles ad participationem bonorum spiritualium alicujus Congregationis, vel etiam totius Ecclesie, non esse indulgentiam aliquam concedere: siquidem dum alicui indulgentiæ conceduntur, ei applicantur & dispensatur præterita Christi Domini satisfactiones, & Sanctorum, quæ in Thesauris Ecclesie conservantur, quæ dispensatio propterea fieri potest solum ab habente claves ipsius Thesauri: eas autem solummodo habet summus Pontifex, & Episcopi dependentes à summo Pontifice; acceptare autem aliquem ad participationem bonorum spiritualium alterius, est illi applicare, tum ejus merita per modum impetrationis, ac meriti de congruo, nedum quando fiunt, sed etiam ubi facta fuerunt: tum per modum suffragij, & satisfactionis, sed solum quando actu fiunt, ut supra diximus: & ista applicatio fieri potest, tum ab ipso operante, tum ab ejus Superiore, & Prælato; summus autem Pontifex cum sit supremus omnium Christianorum Superior & Prælatu, potest totius Ecclesie militantis opera spiritualia ad suum beneplacitum applicare. Et CLEMENS VII. quo Fideles omnes ad subveniendum necessitatibus Religionis Carmelitarum alliceret, eos admisit ad participationem omnium bonorum spiritualium, quæ pro tempore fiunt in sacrosancta universali Ecclesia militante, si suis eleemosynis & subsidijs ejusdem Religionis domos ac monasteria, Frates & Sorores pro tempore adjuverint, subvenerint & manutenerint.

221.

Quæ elec-
mosynæ
quantitas
requi-
ratur ad
fruendum
hoc pri-
vilegio?

Si quispiam quærat, quantam elemosynam Fideles debeant pro manutentione nostrorum Fratrum vel domorum elargiri, quo participes reddantur omnium bonorum spiritualium Ecclesiæ militantis. RESPONDEO, quod cum Pontifex quantitatem non determinarit, sed indefinitè opus elemosynæ injunxerit, minima quæque elemosyna sufficit ad implendam conditionem pro participatione bonorum spiritualium Ecclesiæ impositam, & ad consequendum effectum. Hæc namque conditio elemosynæ indefinitè proponitur, per quamlibet elemosynam, etiam minimam, simpliciter, & in toto rigore impleri potest; cum dicant Dialectici ad veritatem indefinitè quamlibet particularem sufficere. Cæterum si de merito sit sermo, qui plus dabit, juxta sui status conditionem, plus recipiet, dicente Apostolo: *Qui parvè seminat, parvè & metet. & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

De Communicatione bonorum spiritualium, quæ fuit argumentum hujus *Tertiæ partis* differuerunt, nec sine fructu consulti poterunt nostris Thomas Waldensis *Tom. 3. de Sacramental. tit. 10. Cap. 1. & seqq.* Thomas à IESU *lib. 2. de Confratern. beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo, Cap. 5.* Hieronymus Gratianus in *Tract. Jubilæo part. 1. Cap. 8.* Lezana *Tom. 3. quest. Regul. verb. Bona Regulæ rium, & v. Suffragia.* Cyprianus à S. MARIA in *Thesauro Carm. part. 1. Cap. 20. & 21.* Petrus Thomas Saracenus *part. 6. informatio spiritual.* Elias à S. TERESIA in *Legatione Ecclesiæ triumphanti ad militantem lib. 2. Cap. 40. & alibi.* Gregorius Nazianzenas à S. Basiliano in sua *Adoptione parthenia part. 2. cap. 41. & in instructione familiarum Confrat. B. M. V. de monte Carm. Cap. 18.* Gabriel à S. Vincentio *part. 3. de Sacram. Pœnitentiæ disp. 11. q. 6. & disp. 13. q. 7.* Irenæus à S. Jacobo in *Tract. Theologico de singulari B. Virg. protectione scilicet. 3. Cap. 4. & 5.* Ludovicus à S. TERESIA in suo opere *de successione Eliana, Cap. 224. & alij non pauci.*

De exteris, præter alios complures, Navarrus *Miscell. 11. de conditione.* Ludovicus Miranda in *Manuali Prælatorum Regularum Tom. 1. quest. 50.* Franciscus Bordonus operum suorum *moral. Tom. 3. Regul. 84.* Antonius Ruteus *lib. de participationibus seu literis Fratrum quibus Benefactores à prælatis Religionum admittuntur ad communionem bonorum spiritualium, &c.* Antonius Caracciolus in *Notis ad Constitutiones Clericorum*

Regularium part. 2. Cap. 1. Peyrinis Tom. 2. de Pralat. Relig. q. 3. Cap. 6. Theophilus Raynaudus in Heteroclitis spiritualibus part. 2. & in Scapulari Mariano illustrato Part. 1. Cap. 4. & Part. 2. quest. 4.

222.

Lubet pro coronide hujus III. PARTIS pauca ex disertissimo hoc Authore hic adducere, quæ non parum dicta in superioribus capitibus confirmabunt illustrabuntque.

Ex natura rei, inquit Cap. 4. quisquis sacro Cœtui Carmelitano inseritur, ut domesticus, vel in eum adsciscitur per adoptionem, gaudet participatione meritorum omnium, & bonorum spiritualium ejusdem Ordinis. Nam de domesticis res est per se evidens, sunt enim membra veluti nativa, atque congenita mystici hujus corporis: quibus succus in corporis nutrimentum provisus, per se primo cedit: ejusque communi sanguine, & spiritibus rigantur. De externis autem idem proportione suadet, ex cooptatione in idem mysticum corpus. Sin minus substantialiter, & quasi per naturam: at per gratiam eorum ad quos attinet, confertionis hujus accidentariæ benefacium conferre, allegendo externos in sacrum Cœtum. Propterea enim litteræ, quibus hoc beneficium communicatur, à quibusdam dicuntur *Litteræ gratiosæ*, ab alijs vero *Litteræ Filiationis*; eo quod Religio veluti Mater, Externum aliquem in filium adoptet. Qua de re plenè in Heteroclitis spiritualibus, post Thomam Waldensem.

Scapul. Marian. Duplici titulo potest quis frui participatione meritorum seu bonorum spiritualium Ordinis.

Part. 2. Tom. 2. tit. 20. c. 23.

Cooptatio ergo in Cœtum Religiosum, infert prærogativam insignem participationis bonorum Ordinis, quæ quamvis ex natura rei consequatur adoptionem in hunc sacrum Cœtum, & transcriptionem in Filium & Fratrem specialem DEPARÆ, de qua & cetera.

[Deinde §. 1. ejusdem Cap. 4. hæc subjungit.]

Participatio meritorum alicujus Ordinis Religiosi vel spectatur formaliter, vel objective. Dicuntur *merita*, spectari *formaliter*, cum considerantur, pro ut sunt actiones quædam, vel perpeffiones præsentis, quas operans, vel patiens, aut is, cui iste subest, applicat, annuens ut alteri profint, eo modo, quo sub ejus beneficio possunt prodesse. Certum autem est, non posse prodesse, per modum meriti condigni, ac proprie ac simpliciter dicti. Est enim folius Christi, mereri alteri condignè. Ita passim

Participatio meritorum potest formaliter & objective considerari, quando dicuntur formaliter & quando objective spectari

absque ambiguitate tradunt Theologi, sive cum Magistro in 3. dist. Rr 2 20.

Nemo, nisi
Christus
Dominus,
potest al-
teri de
condigno
quidpiam
mereri, sed
solum de
congruo.

*Tract. de
merit. in 2.
dist. 20. 27.
§ 28. 1. 2.
q. 11. art.
6.*

*Lib. 1. Ep.
37. Tom. 4.
in 3. part.*

Probatur
quam sit
insigne be-
neficium
Confrater-
nitatis Sa-
cri Scapu-
laris hæc
meritorum
participa-
tio.

Satisfactio
unius iusti
pro alio
conferetur
esse de cō-
digno &
ex iustitia.

20. sive cum D. Thoma. 3. part. q. 19. Quare merita sacri Cœtus
formaliter considerata, non possunt ab alio participari, nisi in-
ventu meriti de congruo: quo iustus unus, vel plures (quales
multi, vel omnes in sacra Familia esse supponuntur) aliquid al-
mereatur, tantum ex quadam decentia, absque pacto vel promissa
ne ulla divina, cui tale præmium sit rependendum.

Agnoscunt hoc puri hominis meritum pro alio, Guilielmus
Parisiensis, & Scholastici cum Magistro, & sancto Thoma, beneque
Suarez. Præiure autem Patres, tribuentes meritis unius iusti
litem alterius, V. G. meritis ac precibus S. Stephani, conversionem
S. Pauli: & meritis S. Stephani Grandimontensis, conversionem
peccatoris adeo obdurati, ut contestaretur, se nolle converti,
preces pro se in eum sinem fufas, respueret; id quod eo loco notat
Guilielmus Parisiensis. Hunc modum exponendi participationem
meritorum Cœtus Religiosi, iniuerunt S. Anselmus atq; Suarez.

Admisso porrò hæc interpretatione participationis meritorum
utriusq; Cœtus Carmelitani, per Sodales SCAPULARIS, dubio
non licet, quin hæc participatio sit insignis prærogativa. Repen-
dendum enim est, quantas fruges bonorum operum tam cultus, tam
que pinguis ager ferat; per tam multos, & tam sanctos DEO Servi-
utriusq; Cœtui confertos. Quæ quidem bona opera, quatenus aliis ap-
plicata ab ijs ad quos attinet, non possunt non esse eximia & ad
DEO utilitatis. Orationes quoq; in quibus hi sacri Cœtus sunt
assidui, frequenter diriguntur expressè ad bonum amicorum; in quibus
bus eminent Sodales, & Congreges Ordinis. Nec est prætereundum
fructus satisfactorius multorum operum pœnialium, qui est abdicatio
lis ab operante, & potest in alium transferri. Et quidem iuxta les-
tentiam valde probabilem, satisfactio unius iusti pro alio, vult de
condigno: & acceptatur à DEO ex pacto, atq; ex iustitia. Quæ
vis autem aliud sit satisfactio, aliud meritum, tamen hæc satisfactio
num applicatio involuitur in beneficio participationis meritorum
Cœtus Religiosi; quia ea est mens, & potestas concedentium huius
di beneficium. Intendunt enim prodesse, quantum possunt ijs, quibus
eam gratiam præstant: at qui possunt præsertim illis commo-
re hac ratione. Facillimum quippè est, dissolvere nomina talium
amicorum, extergendo reatum pœnæ per annumeratam pro eis

lutionem; exhibita DEO portione aliqua tot operum pœnarium, & maximè satisfactoriorum, quæ assidue obeunt. Quem enim latet, quanta sit ubertas sanctarum perpeſſionum, & operum laborioſorum, virtute ſatisfactiva referorum, in his ſacris Cœtibus? Attendantur, vel perfunctoriè, veſtitus aſperitas, chameuniæ, potus, cibiq; parcitas, cilicia, flagellationes, nudipedalia, vigiliæ; & id genus imbonitates, corporis maximè afflictivæ, atq; adeò valdè ſatisfactoriæ. Indirectè quoq; frequens meditatio, carnis afflictio eſt; quia per meditationē contentam atq; diurnam, exſuguntur puriſſimi quiq; ſpiritus. Unde macies, & ſenſim ſine ſenſu conſequens redactio corporis in ſervitutem; nec rarò acciſio vitæ, vel ſaltem ejus traductio in labore & ærumna. Præ quibus obſeſitas & craſſitudo (quàm ex legis Monachi notam ſtatuit Philippus Abbas) exulat ab his ſacris Cœtibus, æquè ac cura carnis in deſiderijs. Cum ergò in beneficio participationis meritorum, tam illuſtrium Cœtum, comprehendantur meritum congruum, & impetratio, ac ſolutio reatus, per ſatisfactiones pro alijs; quis adeò excutiat, ut non videat, quantis bonis fœta ſit prærogativa hæc Scapularis Carmelitici, in qua excutienda verſamur; etiam ſi quæ dicuntur *merita*, non niſi formaliter ſpectentur, ut hætenus fecimus? [Mox incipit §. 2. *ejusd. Cap.* Author agere de participatione meritorum objectivè ſumptorum, quæ potior videtur.]

SED eſt præter iſtam alia ratio exponendi participationem meritorum Religioſi Ordinis, quæ mihi videtur & opportunior & uberior; ut plenè expoſui in *Heteroclitis ſpiritualibus*, tractans anomalias *Literarum Filiationis*. Dicebam hujus Capituli initio, in hac participatione, *merita* ſpectari objectivè; quia hic non habetur ratio applicationis meritorum factæ nunc ab alio pro operante, qui non niſi ſuas præſentes operationes actu applicare alteri poteſt. Sed habetur ratio internæ earum bonitatis, moventis DEUM ad benè faciendum, etiam ſi vel jam ſint tranſactæ, vel nondum advenerint, aut cum advenerint non appicentur alteri per operantem. Sic enim Scriptura ſæpè memorat, DEUM propter Abtaham, Iſaac, & Jacob, aut propter David ſervum ſuum; id eſt, recolentem eorum ſancta opera pridem tranſacta, miſertum eſſe populo ſuo. Ac etiam immeritis contuliſſe ultrò aliquod bonum, intuitu antiquorum illorum Famulorum ſuorum; quorum pia opera habet objectivè præſentia, & digna agnoſcit;

R r 3

L. de continent. c. 93. & 94.

223.

Part. 2.

Deus intuitu ingnium amicorum suorum ſæpius alijs etiam immeritis benefacit.

scit, à quibus permoveatur ad benefaciendum ijs, qui nexi sunt necessitudine cum Servis illis suis.

*L. de mi-
grat. A-
brah. & de
Sacrif. A-
belis. L. 2.
de Cain c.
3. & L. 2.
de Abrah.
c. 5.*

Quantum
nonnun-
quam unus
solus infi-
gnis Dei
amicus
profit in-
tegræ civi-
tati ac re-
gioni?

Eadem ex causa Philo, & post eum S. Ambrosius, ajunt; magnum prodesse Reipublicæ, quod sit in ea insignis aliquis Justus. esse valdè dignum luctus argumentum, cum justus de terra tollitur. Quia boni cives per suam præsentiam in aliqua urbe, aut regione etiam silentes, & nihil tale cogitantes, plurimum commodant oræ ac regioni, in qua versantur; quatenus DEUS, qui medullas cordium penetrat, & novit quantum sint erga eam oram affectu civitati, talibus Amicorum suorum intuitu, indulget aliqua eidem oræ, aut civitati, quæ alioqui non indulgeret. Eoq; spectabat Stilico Comes, cum tanto studio tentabat S. Ambrosij jacentis obitum, per ipsum S. Ambrosium avertere. Non ignarus, quanto publico damno esset migraturus: & quanto utilitatis foret Reipublicæ, si exoraret incolatum suum ad tempus, quod prolongari.

Proportione ergò philosophor de meritis Ordinum, & Ordinis Carmelitani, de quo agimus. Cum enim tanta sint, & propriè dicta merita fuerint, postque etiam futura sint vera & propriè dicta merita utriusq; instituti Carmelitani apud DEUM; non est dubium, quod DEUS ab illis sanctis operibus objectivè sibi semper præsentibus permoveatur ad benè volendum ejusmodi sacris Cœtibus; & ad avertenda ab eis pleraq; mala ingruentia, benevolis inclinetur, ac demerita que feratur ad opportunam protectionem ijsdem impendendam, ut cum ad id non interpellatur per actu adhibitæ superstitionis precibus quibus tale bonum, aut talis malum averruncatio formaliter, & in abstracto signato expetatur. Eo ipso porrò, quod quis sacro Cœtui per adoptionem conferitur, jus accipit participandi divinam largitatem totius mystico corpori collatam, intuitu totius sacri Cœtus ac meritorum ejus.

Objectiva
meritorum
participa-
tio longè
fructuosior
est atque,
uberior
formali.

Ajebam autem, hanc objectivam participationem meritorum esse fructuosiorē & uberiorē formali; quia participatio meritorum, formaliter spectatorum longè minus patet. Nam neque ad ea pertinent anteriora merita: nemo quippè de eis potest disponere, quo transacta sunt, quandoquidem nemo habet Thesaurum privatum satisfactionum suarum penes se asservatum; & multò minus merita propriè dictorū, quæ in alterum transferri non possunt. Neq; etiam

pertinet ad eam participationē bona opera futura, quæ non possunt de facto applicari tanquam fructuosa in præsentī; etiam si per modum satisfactionis possint applicari antecedenter, ut profutura, quo tempore erunt. Imò de satisfactionibus quoque dubium est, an quando sunt actu, subsint plenæ dispositioni alterius, quàm operantis. Ita, ut eo renitente, vel non consentiente positivè, validè fiat translatio valoris satisfactorij in tertium, per Superiorem operantis, impertientem tertio participationem meritorum, id est, satisfactionum subditi sumptarum formaliter.

Quæ omnia secus se habent in participatione objectiva sanctorum operum; ad quàm pertinent & opera præterita, & præsentia, & futura; quæ DEO æquè obijciuntur in omni temporis differentia, & illum movent, ut benè velit Ordini tam benè de se meritò, tamq̃; feraci sanctorum operum. Et quia is, qui donatur beneficio participationis meritorij sacri Cœtus, transit aliquatenus in membrum Ordinis; eo ipso id beneficij assequitur, ut respergatur rore Hermon descendente in montem Sion: id est, ut fiat participans protectionis, ac beneficentiæ, quàm DEUS dignatur Ordini conferre, intuitu meritorum, pro quibus se velut in ære illius Ordinis esse profitetur, quæ est immensa tanti Domini bonitas, & in nos indulgentia.

Nunc ut hæc prærogativa SCAPULARIS Carmelitani intimè perspiciatur, & manifestum fiat, quanta inde in Sodales redundet utilitas, & apud DEUM gratia; perstringenda obiter sunt utriusq̃; Carmelitani instituti (Primævi inquam & Terefiani) præclara ornamenta, præ sanctis operibus, quæ elieuit: & *fenore quod* (ut Scriptura loquitur) *Domino commodavit*. Possimus autem ea ornamenta, & præclare gesta, digerere in aliquot series. Considerare ergò imprimis poterimus in his Cœtibus, Sanctos Ecclesiastica vindicatione, & (ut nunc loquimur) Pontificio Canonismo claros, vel non dubia sanctimonix fama conspicuos. Ultrique enim eò proveci sunt per bona opera, aut perpeffiones DEO acceptas, & gravidas meritorum sanctorum, sive ad Ecclesiæ Rosas, sive ad Lilia spectent, ut cum Hilario Arelatensi loquar. Hoc est, sive ad Sanctos turbine persecutionis decussos, & triumphali martyrij agone consummatos: sive ad alios in Ecclesiæ pace, vinculis corporis exsolutos: cujusmodi sunt sancti Confessores, ac Virgines in Parthenonibus, leni sed diuturno martyrio vitam ponentes.

Con-

Participatio formalis non respicit bona opera præterita: & quomodo ad eam pertineant futura?

Participatio objectiva complectitur opera bona non solum præsentia, verum etiam præterita ac futura.

224.

Classes varix Sanctorum Ordinis Carmelitarum.

In laud. S. Honorati.

Considerare præterea possumus merita, & labores variorum sanctorum Antistitum, ex Ordine Carmelitano assumptorum; qui per infulas nacti *opus bonum*, id est, durum & refertum arumarum, fuerunt DEO in solitudine, excubantes super gregem sibi concredendum: eaque ratione Dominum amantem animas demeruerunt. Et tametsi non omnes sint vindicati, atque adeo non sint plane compertæ sanctitatis; tamen quantum conjecturæ nostrates ferunt, muneribus suis ritè perfuncti, intraverunt in Domini gaudium, tanquam servi boni ac fideles.

2. Cor. 12.

Accedit ad hanc seriem alia, conflata è navis operarij, Apostolici zeli in animarum conversionem magnis animis impensorum ac super impensorum, ut phrasi Apostolica utar.

Adjungi præterea possunt, & verò debent, viri in his Curis propter disciplinæ dona commendati; qui docendo in scholis, concionando in pulpitis, aut libros conscribendo (quod esse martirij genus affirmat Antonius Peres) illuxerunt Orbi terrarum. Et circò fidejussore per Daniele Spiritu sancto, eo quod ad pulcherrimum erudierint multos, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & sicut lucida in perpetuas æternitates.

In Law.
Salvi c. 9.

Video patere in seriebus hisce decurrendis campum prope infinitum. Sed pauca compendiò perstrinxisse contentos, cetera dimittam legenda apud eos, quos indicabo, diligentius & ex illis ista prosecutos. Et nominatim apud Trithemium, laudum Ordinis Carmelitani nunquam saturum: ac Carolum Fernandium à puero eum, sed mente probè oculatum; qui de laudibus Carmelitarum, laudationem emisit. Id etiam Aubertus Miræus, præter benemeritos Ordinis hujus Domesticos, præstitit. Apud eos legentur illa copiosè expressa. Nam ad præsens institutum satis superque est, delibuisse nonnullos; sicut ad inhalandum ex myro optimo fragantiam, non est necesse lecythum plenam effundere, sed sufficit gutta modica. habet concinna Chrysolomi comparatio. [Prosequitur postmodum diffusius Carmelo-parthenij Ordinis laudes, virtutes ac merita Raynaudus; tandemque Capiti illi IV. suam imponendo subjungit.

Homil. cum
dr. e. byter
esset designatus.

225.

Expasam per varias series ornamentorum Carmelitane militiæ orationem contrahamus in pauca; ut Matres faciunt, quæ liolo post varia bellaria in sinum congesta, togam reducunt, ut

Hom. 2. de
Verb. Isaia.

hil effluat, quæ est Chrysoftomi concinna in hanc rem comparatio. Tot itaq; & tam multorum verè summorum omnis generis hominum labores pro causa DEI, & pro Ecclesia; quam pretiosi sint in conspectu Domini, quàm apud eum gratiosi, quis fando explicet? Recolantur, nec perfunctoriè, paucorum quos è multis protuli, indubiæ felicitatis Sanctorum, curæ, dum superessent: tot sacerorum Antistitum indefessa studia: tot lucida sydera Scriptorum sacrorum, qui caliginem ingenijs offusam, lucubrationum suarum jubare depulerunt: tot sacrarum Virginum, therapeutas in cælesti aula agentium pia obsequia. Horum, inquam, & aliorum, quos dinumerare nemo poterit, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, unū fasciculum viventium coram Domino adunatorum, odorem suavitatis, ipsi DEO, & Angelis ejus inhalatum, obijciamus animo. Quamq; DEUM mulceat ea flagrantia, quot bonis afficere, totum Cœtum è quo prodit, quæ non mala ab eo avertere propensissimè velit, consideremus. In hujusmodi sertum colligari, ascisci, inquam, in talem Cœtum: & cælestium favorum ei toti communium, participem fieri; hoc est, quod tanquam eximiam Carmeli SCAPULARIS prærogativam, meritissimo suspiciendam, & omni studio captandam propono.

Quia verò nomine *Ordinis*, cum agitur de meritorum ejus participatione, comprehenduntur in hoc negotio etiam Fratres ascetitij, sive Sodales, cujuscumque conditionis ac sexus; & hinc quoque eruendum est, quantus sit hujus prærogativæ fructus ac dignitas.

Sive illi ascetitij Fratres sint Religiosi alterius instituti, qui proinde meritis abundant: sive sint purè Sæculares, ac etiam conjugio illigati, &c. Hactenus

Raynaudus.



ss

PARS